AELIA LAELIA CRISPIS.

EPITAPHIUM

ANTIQVVM. QVOD IN AGRO BONONIENSI ADHVC VIDETUR, À DIVERSIS HActenus interpretatum variè: novissimè autem à Richardo Vito Basinstochio, amicorum precibus explicatum.

M. T. CICER. LIB. I. TVSCVL. Q.

QUID IPSA SEPULCHRORUM MONUMENTA, QUID ELOGIA SIGNIFICANT, NISI NOS FUTURA ETIAM COGITARE?

Bodmann. 1807.

DVRDRECHTI.

Typis IOANNIS LEONARDI BEREWOVT.

Anno CIↃ. IↃ. C. XVIII.

HOC EST AENIGMA TANTAE VIRTVTIS, TANTÆQVE SAPIENTIÆ.

AM. PP. D.

AElia Laelia Crispis,
NEQVE VIR, NEQVE FOEMINA, NEQVE ANDROGYNA, NEQVE IVVENIS, NEQVE ANVS, NEQVE CASTA, NEQVE MERETRIX:

SED OMNIA:

NEQVE COELO, NEQVE TERRIS, NEQVE AQVIS: SED VBIQVE

IACET.

SVBLATA NEQVE FERRO, NEQVE FAME, NEQVE VENENO:

SED OMNIBVS.

Laelia Crispis alias in
CAVO ACVTO: NEQVE VIR, NEQVE AMATOR, NEQVE FLENS, NEQVE RIDENS, SCIT, NESCIT, CVI

POSVERIT.

HOC EST SEPVLCHRVM INTVS CADAVER NON HABENS:
HOC EST CADAVER SEPVLCHRVM EXTRA NON HABENS:
SED CADAVER IDEM EST, ET SEPVLCHRVM SIBI.

DOCTISS. PHILOSOPHO CHRISTOPHO-RO IONSONI VICAMENSIS SCHOLÆ APUD VINTONIAM summo Moderatori.

RICARDVS VITVS S.D.

CUM hæc à me de Crispi notatâ in manus hominum, quod initio non putaveram exirent: quod de Æsopo scripsit Maximus Planudes, id mihi CHRISTOPH. IONSON, videbatur accidisse. Hic n. cum Zantho Philosopho, ac hero suo inter monimenta ambulans, inq; arca quadam vidēs insculptas literas α. β. δ. ο. ε. θ. χ. cum eas Zanthus non intelligeret, stipulatus ab eo prœmium libertatis, & rei, quæ inveniri posset, dimidium; promisit se Thesaurum eo loco inventurum. Quem quatuor inde pedes fodiendo repperit. Philosophus rei novitatem admiratus; nisi prius sensum quóque literarum (qui sibi pretiosior auro foret) explicaret; Æsopo negat se partem thesauri daturum. Et ille legens; ἀποβὰς; βήματα τέσσαρα ὀρύξας εὑρήσεις θησαυρὸν χρυσίου; partem sibi ejus dimidiam petiit. Quam adhuc negante Zantho, renunciaturum se Regi Byzantiorum affirmavit, cui repositum illud aurum, reconditumq; erat.

Dici enimin literis, ἀπόδος βασιλεῖ Διονυσίῳ ὃν εὗρες θησαυρὸν χρυσίου. Commotus hic Zanthus, & potentiam veritus Regis, partē dat. Tum Æſopus, Non tu mihi nunc hoc donas, Zāthe, inquit: ſed is, qui Theſaurū hic defodit. Ait enim, ἀνελόμενοι βαδίσαντες διέλεσθε ὃν εὕρετε θησαυρὸν χρυσίου. Ita vir acutus eaſdem literas, primò, ut oſtenderent Theſaurum; deinde, cui is tradendus; demum quo pacto dividendus foret, neceſſitate quadam impulſus, ter & variè interpretat. eſt. Quo magis mihi favêre debes & tu, CHRISTOPH. IONSON & quicunq; hæc noſtra lecturus eſt; ſi deſtitutus aliquandiu veritate hujus Epitaphii (quod ubi reperiatur ex Epiſtola Turrii ſuo loco apparebit) illud non tam variè, quàm ter interpretatus ſum. Nam cum Epitaphium Ideæ putem eſſe, quam ideam introduxit Plato & Academici defendunt; quámque ejus auditor Ariſtoteles rejecit, & tota familia Peripateticorum; à Niobe, id eſt, homine exteriore, quem in vita communi Ariſtoteles eſſe dicit; ad Animam, id eſt, hominem interiorum procedo: qui ſolus homo judicatur. Non enim tu is es, quem forma iſta declarat, inquit apud Ciceronem Africanus. Sed mens cujuſque is eſt quiſque, non ea figura, quæ digito demonſtrari poteſt. Ob eàmque cauſam ab illa Anima cum corporibus permiſta, ad hanc abſtractam mentem, ſeu potius ad totius hominis Veram Ideam accedo. Quam quidem Plato non tam divinitus invenit, quam conſtituit ſapienter. Hanc Æliam à nobilib. Romanis, propter nobilitatem, honorémq; Platonis. Hanc Læliam, propter amicitiam

Aristotelis, cum Platone. Hanc Crispim, quod ex iis hominibus qui sunt singuli, contracta, quasiq; convoluta in mentem ac intelligentiam reponatur, appellari suspicor. Quam Lucius, id est, homo is, qui luce videtur oculorum. Quam Agatho, id est, bonus ille fautor veritatis potius, quā amicitiæ Platonis; quā Priscius, id est, homo ille, qui secundum Aristoteleum ἀξίωμα, prius erat in sensu, quam in intellectu, sepeliendam curavit. A quo homine & ipse, ut jam dixi proficiscens, ad Ideæ celsitatem ascendi. Quod tu mecū facies CHRISTOPH. IONSON mecùmq; ibi manebis; nec existimabis ideam hanc, penitus sepultam esse, quæ de Animorum dignitate, atque immortalitate, rectè sentire docet. Præclarum est enim, quod scripsit Augustinus, Platonicos veros, nisi nomine solum, vix ulla re alia differre à Christianis. Hæc de ordine hujus libelli paucis præfari volui, quod eum mihi bonus casus obtulerit, & Epitaphii veritas descripta a Turrio, quam ego veritatem, fictæ a Mediolanensibus cōpositioni Ænigmatis præferre, vel ipsius Antiquitatis causa justum putavi, dum libellum aliter quàm Marius inscribo. De meis verò quæ primum hìc, ut de Ænigmate dicuntur, quoniam tunc aliud non compereram, nihil mutavi, ut haberent quoque Mediolanenses, quod in causa sua dictum sit. Quam quidem Narrationē meā CHRISTOPH. IONSON, ad te propterea mitto, quod audierim duas illas orationes, quas ego Lovanii habui, unam περὶ τῆς ἐγκυκλοπαιδείας; alteram De laudibus Ciceronis, & Eloquentiæ; Londini jam aliquot annos tua cura

divulgatas, tuòque jussu Vintoniæ publicè esse lectas. Rem sanè miram: & quæ veteris amicitiæ nostræ nimis apertum habet testimonium. Mihi certè homini ab officinis Typographorum semper alieno, eum nunc animum dedit, ut amicis hoc à me jam diu postulanitbus, nostræ in Crispim conjecturæ editionem non denegaverim. Tu verò, qui soles Meas aliquid putare nugas, ut ille Poëta dixit, judicabis, maluisse me otiosum esse, cum hæc faceiem, quàm, quod ajunt nihil agere.

VALE. PATAVII IX. CAL. DECEMBRES 1567.

AD

AD RICARDVM VITVM I.V. DOCTOREM. FRANCISCUS PANCER A FOROjulienſis Zoppulæ Dominus.

αἰνιγματικῶς.

QVI Magne ò Ricarde colit te pectore toto,
Evulſis caudis has tibi donat Aves.

Aliud ejuſdem.

Non nemus Hæmi, non undas Heliconis; at ipſum
Signiferum potuit linquere Apollo polum:
Vt foret ille tui fautor; ne invita Sororum
Fronde tibi ſacra cingeret ulla caput.

ADRIANVS VANDERBVRCHVS FLANDER.

Ælia quænam eſſet, quæ Lælia; noverat antè
Nemo, ſed obſcuris nomina rebus erant.
Quæq; legebantur nodoſi Ænigmatis inſtar,
Qui rectè potuit ſolvere nemo fuit.
Tu modo Vite horum nobis arcana recludis,
Ingeniiq; facis lumine clara tui.
Certè quiſquis is eſt, illorum incognitus auctor,
Mentem hanc ſi poſſet, diceret eſſe ſuam.
Pro domino tamen hoc res ipſa & verba loquuntur.
Admotaq; magis jam ſibi luce placent.

Aliud.

Criſpis ego ex Homine in ſaxum mutata receſſi,
Inq; hominem è Saxo, Vite redire facis,

Quamq;

Quamq; mari rursus Marius submersit, ab undis
Extrahis, & renovas Deucalionis opus.

T. EVENVS. ἠθικῶς.

Elatam Nioben Phœbus Phœbeq; repreßit.
Quoq; superbierat, pœna severa fuit:
Sic elatum hominem rebus privabit opimis;
Et quo delinquit, puniet ira Dei.
Esto Humilis, sic summus eris: Submißio tollit.
Inq; solo Cœlum quærere tuta via est.

COPIA DELLA LETTERA AL REVERENDISSIMO CARDINALE DI TRENTO mandata in fede dell'Enigma per lo excellente Dottore M. Antonio Catharo.

ILLUSTRISSIMO Prencipe, & Reverendissimo Monsignor Cardinale di Trento S. Con libero animo io mi sono mosso à scrivere à V. S. R. essendomi hora per benignità de Cieli data honestissima occasione di far palese à quella la mia servitu co'l mezzo della virtu di M. Mario, humil servo lui anchora di V. S. R. alqual (conoscendo quanto egli sia dotto) detti non sono molti giorni anchora

ta un'Enigma antiquiſſimo, ingenioſo, & pieno di molta eruditione da eſporre, mandatomi dalli Academici di Milano per haverne nõ il giudicio mio,che è debole, & poco; ma di qual che letterato, non havendo niuno di loro, ne altri ancora (per dotti che ſiano ſtati) potuto ritrovarli ſenſo, che ſe li quadraſſe; il quale tãto dottamẽte lo hà eſpoſto, che li più dotti di queſta Città ſene ſono infinitamente maravigliati. La qual, eſpoſitione havendo eſſo M. Mario conſecratà à V. S. R. come quella, che non ama ſe non virtu ò quello honeſto, che di virtu fuori fiorir vede, m'ha pregato, che farne fede appo lei ne voleſs'io, di quãto gia le hò detto, il che à fare volontieri mi ſon eſpoſto; ſi per fare coſa grata ad uno mio tanto amico, come per far pale ſe à V. S. R. la ſervitu, ch'io (quantunque indegno ſervo le ſia) gia molt'anni le ho portato, porto, & portarò mentre, ch'io viva ſupplicando'l noſtro Signor Iddio, dalla cui volontà creder ſi dee, che tutto queſto avenuto ſia, che tanto della ſua gratia mi doni, che jo (qual'jo mi ſia) poſſa ſi come ſpero, farmi conoſcere fedele, & amore voliſſimo ſervo verſo V. S. R. Qual Dio longamente ſana, & nella ſua gratia conſervi. Da Padoua il giorno primo di Novembre. 1547.

Di V. S. R.

Humil ſervo Antonio Catharo. I. V. D.

RICARDI VITI AD AENIGMA NARRATIO DE NIOBE.

NON sum nescius multos fore, qui laborem meum in hoc Ænigmate declarando variè reprehendent. Nam quibusdam, & ijs prudentibus viris ineptum planè videbitur, adolescentem me, qui majora spectare, & ad ea rectis studiis debeam contendere, in re tam parvâ, & inutili fuisse occupatum. Quidam exercitationem fortasse laudabunt orationis, ac styli, sed non in Ænigmatis explicandis. Erunt etiam, nec illi quidem indocti, quibus hoc totum Antiquitatis, & obscuritatis displicebit. Quibus omnibus respondeo; me nec Antiquarium, ut quædam solus scire; nec Oedipum, ut Ænigmata solvere videar, existimari velle. Hoc autem scriptum, licet verbis parvum, rè tamen vera magnum esse. Neque quòd obscurum sit idcirco tanquam inutile reijciendum. Quid enim potest esse iniquius? cum Difficilia sint, quæ pulchra, ipsaq; indagatio rerum tum maximarum, tum etiam occultissimarum, habeat oblectationem. At Ænigmatis expositio incerta est. Num magis, quam illa, An Sol decempes sit? & hanc tamen quæstionem ipsam in Academicis Cicero, exterminandam non putat. Est enim, inquit, animorum, ingeniorúmque naturale quoddam quasi pabulum consideratio, contemplatioq; naturæ. Quæret igitur hæc & Vir sapiens, Lib. 2.

præ-

præclareq; agi secum putet, si in hujusmodi rebus verisimile quod sit, invenerit. Maxime cum dicatur, HOC ESSE ÆNIGMA TANTAE VIRTUTIS TANTAEQUE SAPIENTIAE. VIRTUTIS quidem, quia contra superbiam Niobes; SAPIENTIAE vero quoniam de dignitate Animæ intelligitur. Ac illud certè, re ipsa hic fit; hoc autem ex quadam rei significatione. Nam in Ænigmatis puto illam esse naturam, ut res quodammodo rebus significentur; cum αἰνίττεσθαι Græci dicant eos, qui loquuntur obscurè, & unam rem nominantes, aliam intelligunt. Quod Rhetores ajunt fecisse Ciceronem in Sex. Roscii defensione, vbi contra Erucium, Te inquit, pugna Cannensis accusatorem sat bonum facit. Multos cæsos non ad Thrasimenum lacum, sed ad Servilium vidimus. Et cætera, quæ sequuntur, allegoricè significant, Erucium, & reliquos accusatores, non tam causis, quàm temporum iniquitate fretos, post Syllanam victoriam multos condemnasse. Per pugnam ergo Cannensem Civile bellum intelligit. Cum itaque sint in hoc Ænigmate, ut jam dixi, duo; Res, quæ narratione, & Significatio, quæ interpretatione explicatur: Est quidem Narratio, definita à Cicerone, Rerum gestarum, aut perinde ut gestarum expositio. Interpretatio autem, conjectura, & judicium. Narrabo primum, deinde interpretabor.

Lib 2, de Orator.

RAPHAEL igitur Regius in suis enarrationibus ad Metamorphoses Ovidij scribit fabulam de conversione Niobes in saxum, idcirco fictam esse, quòd hæc in liberorum sepulchro, sibi lapideã statuam ipsa erexerat. Ad quam statuã hoc,

de

de quo agimus; (non initiò quidem Ænigma, nunc autem sic appellatum propter ipsius antiquitatem, & obscuritatem) appensum, & scriptū ab Agathio fuit. Aut si scriptum ibi certò non fuit, tamen adscriptum esse potuit. Quod ideo dico, non quasi putem Agathium Scholasticum istud fecisse, (cum infrà, Elogium solum, ejus esse affirmē) sed quia hujus Ænigmatis scriptor, quicūque fuit, personam illius sustinuerit, idq; est satis ad Narrationem, quæ, ut dixi, non semper rem gestam, sed aliquando perinde ut geri potuerit, exponit.

ITAQUE quinq; illos characteres AM. PP. D. sic lego: Academici Mediolanenses Philosophis Patavinis Donant. Hoc scilicet Ænigma explicandum. Missum enim ab illis Viris ad hoc celeberrimum Gymnasium fuit, ut aliquot veræ intelligentiæ lumen assequeretur, & expositum quidem omnibus sapientiæ professoribus: ut in Epistola ad Christophorum Madrutium Cardinalem Tridentinum testatur Marius Michael Angelus. Qui de Aqua pluvia id interpretatus est. Sanè quidem alienè. Nec enim debeo quicquam; in illum durius dicere, cum hoc positum sit totum in conjecturis. AM.&c.

VIDENDUM ergo nobis est, quidnā sit illud, quod hîc dicitur ÆLIA, LAELIA, CRISPIS. Et existimo Nioben jam transformatam intelligi. Quæ non nominatur, quod jam esset odiosa. Ælia Lælia &c.

Vulgus enim extinctum cum stirpe Amphiona luget.

MATER in invidia est. Et ibi rationem apud Ovidiū notans Regius, quia superbia sua, mortis, inquit, liberorū causa fuerat. Nam cum ex Amphione

phione Thebarum Rege septē filios, & tot filias suscepisset; jamq; Vates fatidica Manto Thebanos admonuisset, sacrificium Latonæ ut offerrēt: tali jussu commota Niobe, séque Latonæ cū alias ob causas, tum præcipuè liberorum numero præferendam contendēs, prohibuit, Nequis ei in Regno suo sacrificaret. Quod indignè ferens Latona, Apollinem & Dianam rogavit, ne se ipsorum matrem injuria tanta affici paterentur. Qui statim assumptis in manum arcubus & sagittis, ut Poëta fabulatur, primo filios omnes interemerūt. Id quod cum Amphion pater ferre non poterat, doloris magnitudine se ipse interfecit. Niobe verò tanta clade magis furere cæpit, ut jam ne maledictis quidem in Deos se abstineret. Quo effecit, ut septem filias quoque pari calamitate confectas videret. Vnde nunc ÆLIA dicitur ἀπὸ τοῦ ἡλίου qui Grecę Sol, & Apollo est. Ac LAELIA à Luna quæ Diana nominatur. Luna enim ab ÆLIO, LAELIA, sicut à Phœbo Phœbe idcirco appellatur, quòd accessu & recessu suo lumē Solis accipiat, quòdq; eodē simul tempore cum eo nasceretur. Geminorū enim, par est, & æquum, ut gemina sit, aut similis appellatio. Ac litera quidē L. de Latonæ matris trāslata, in LAELIAE filiæ nomine, muliebri quadam indulgentia præponitur: ut mas quidē Apollo, asperè HAELIUS, fœmina verò Diana liquidè vocetur LAELIA: ab eísque vindictam Latonæ perpessa Niobe non per πλεονασμὸν ut inquit Marius, sed quoniam utèrque vindex erat, ab utróque HAELIA LAELIA periphrasticè nominetur: & CRISPIS quoque. Quam tamen hodie Crispā diceremus. Sed ad majorem, credo, obscuritatē verbum fortasse priscum

priscū adijcitur. Est autē Crispa, ea fœmina quæ intortos crines habet. Qui sic fiūt calamistro, quod calefactum in cinere capillos ornat. Ergo Nioben CRISPIM similiter vocat, ut Cicero crispisulcans igneum fulmen, quod in Aiacis navim injectum est, vel ironicè, quia nunc irarum ardor pulchritudinem minuerat; de quo Ovidius, Et quantum ira sinit, formosa: Vel quòd dolore cōtracta, quasiq; in se ipsam intorta fuisset. Vnde apud Ovidium ipsa de se, per funera inquit, septem Efferor. Quasi diceret funeribus septem filiorum, & se ipsam duci ad sepulturam, sagittisq; Dianæ, & Apollinis, se infelicē matrem confossam esse. Cujus me hercule metamorphosis effecit, ut iam NEQUÈ VIR, NEQUÈ FOEMINA, NEQUÈ ANDROGYNA rectè dici possit, NON VIR, qui nunquam fuit, nata præsertim fœmina. NEQUÈ FOEMINA. quæ tametsi fuit, tamen nunc facta lapis, diutius non est. NEQUÈ ANDROGYNA, id est, mas & fœmina. Quia non est jam amplius Homo, in quo reperiuntur ambæ sexus differentiæ. Atquè si jam amplius Homo non est, sequitur, ut NEQUÈ IUVENIS, NEQUÈ ANUS sit, quæ sunt extremæ Hominis ætates. Quòd si autem NEQUÈ IUVENIS, NEQUÈ ANUS est, certè NEQUÈ CASTA, NEQUÈ MERETRIX erit. Nam in juvene libido maximè dominatur, in anu morum honestas viget, idq; propter ipsam ætatem ut fere credatur, NEQUÈ IUVENIS CASTA, NEQUÈ ANUS MERETRIX. Hinc Poëta nescio quis.

In tepicis.

Neque Vir neque Fœmina &c.

Militat in teneris annis Amor hospes amœnus.
Est in canitie ridiculosa Venus.

SED OMNIA,

Citat add. ad glo. bacchata ist de success. sublatis. ad l. Aqui.l. si ser. §. cum eo.

NIA, inquit est quæ affirmatio, non ad universa, quæ ubique sunt, sed ad ea tantum, quæ precesserunt, refertur. Cum non sit novum, ut specialiter quibusdam enumeratis, generale subijciatur verbum, quod specialia complectatur, ut ait Celsus, & in Pandectis refert Vlpianus. Ergo cum à remotione similium, quid non sit potius, quàm quid esset hîc subjectum, fuerit hactenus declaratum. Cùmque facilius judicetur infinitè, ac negativè multa dicere, quàm pauca verè affirmare; quod est in Ænigmatis frequẽs, utitur post negationes brevi affirmatione. Sic & M. Tullius in loco, de quo ante, Multos cæsos non ad Thrasimenum lacum, sed ad Servilium vidimus, quæ affirmatio latentem in prioribus verbis obscuritatem paululum removit. Quatenus igitur Niobe tanquam patronymicè, & per infelicem adoptionem ab Apolline, & Diana HAELIA, LAELIA dicitur, ab illo, VIR; ab hac FOEMINA; ab utroque ANDROGYNA: ab illo, IUVENIS; ab hac ANUS, sed moribus quidem, non etiam ætate. Sicut ab hac, CASTA, ab illo, MERETRIX non ineptè vocetur. Cum Dianæ castitas, & Apollinis amores à Poëtis celebrentur. Nunc de loco considerandum, ubi sit hoc, quod NEQUE COELO, NEQUE TERRIS, NEQUE AQUIS IACET. Nam ut in statua præsens est Niobe, non jacet; cum statua à stando nominetur. Qui autem stat, non jacet, quia cadere potest, quod jacens non potest. Vnde facetè quodam loco, nisi fallor OUIDIUS, *Qui jacet in terra* (inquit) *non habet unde cadat*. In hac autem tota loci abnegatione, videtur invidiosè alludi ad illud di-

Neque Cœlo neque Terris &c.

ctum

ctum à Niobe contra Latonam.

Nec Cœlo, nec Humo, nec Aquis Dea vestra recepta est. Vt jam Niobe quatenus statua, NEQUE COELO, NEQUE TERRIS, NEQUE AQUIS; sed quatenus lapis, VBIQUE IACEAT. Cum lapis deorsum feratur naturà, nec usquam sistat, nisi ubi solum invenerit. Sicut ergo suprà in genere hominis quis Niobe fuerit diximus, ita nunc in genere lapidis, qualis illa est facta, quibus in locis sit, declaremus. Ac primum quidem Livius scribit, in monte Albano lapidibus pluisse. Quod cum credi vix posset missis ad id visendum prodigium, in conspectu, inquit, haud aliter, quàm cum grandinem venti glomeratam in terras agunt, crebri cecidêre Cœlo lapides. Id quod Philosophi ij qui Meteorologici dicuntur, ratione fieri probant. Vt hodie derisus sit, qui lapidem de Cœlo cadere videns, Cœlum ipsum affirmavit esse lapideum. Hactenus ergo Niobe jam lapis, IN COELO jacet, quatenus ibi quandam naturam habet. Cum jacere sit maximè naturalis quietis, quæ cuique rei in sua potissimum essentia est. Iam verò quod ad TERRAM attinet, cum ea sit gravis, nulli dubium est, quin naturæ quadam similitudine lapides contineat. Præsertim cum Papinianus in Gallia & in Asia non solum lapides nasci ex terra, sed etiam si cæsi sunt iterum renasci dixerit. Itaque propriè IN TERRIS Niobe IACET propter saxi pondus, quod in se nũc habet: Quin etiam IN AQUIS quoque, cum ibi non tam lapides & pretiosi, & viles quam scopuli, ac quidam quasi lapidum montes reperiantur. Vt nihil dicam hoc loco de marmore Siphyleno, quod

Liber 1.

Soluto matrimo. l. si divortio. §. si vir.

ſudare perhibetur,ob eamq; cauſam in illud Niobe converſa fingitur, ut Regius notat apud Ovidium de Niobe jam mutata ſic ſcribentem:

Flet tamen, & validi circundata turbine venti
In Patriam rapta eſt: ubi fixa cacumine montis
Liquitur, & lachrymis etiam nunc marmora manant.

Sublata neque ferro, &c.

Reſtat, ut quomodo hæc objerit oſtēdamus, quæ fuit SUBLATA NEQUE FERRO, NEQUE FAME, NEQUE VENENO. Atque cùm his tribus modis vita hominibus aufertur, quoties ea per vim aufertur, certè Niobe non aliqua vi, ſed ſponte moriens, ſolū ex dolore SUBLATA EST. Nam pater Amphion ferro per pectus adacto.

Finierat moriens pariter cum luce dolorem. Et hoc quidem poſt mortem ſeptem filiorum, quibus pater orbus ſuperſtes eſſe noluit, quanquam mater voluit, filiarum vita ſe quodammodo conſolans. Iiſq; etiam ſuperbiens, & elata.

Paſcere crudelis noſtro Latona dolore,
Paſcere ait, ſatiaq; meo tua pectora luctu.
Corq; ferum ſatura. Victrixq; inimica triumpha.
Cur autem victrix? miſera mihi plura ſuperſunt,
Quàm tibi felici, poſt tot quoque funera vinco.

Qua verborum arrogantia atque inſolentia perfecit, ut tunc quoque præſente ipſa, atque amplexante filiæ omnes transfigerentur, mortuæq; caderent è manibus quod ſtatim videns dolore, & lachrymis vitam finivit. NON FERRO, NON FAME, NON VENENO. SED iſtis OMNIBUS. Hoc eſt, dolore. Qui tametſi nullum horum verè eſt, tamen inſtar omniū habet. Etenim dolor,cúm ſit ut Cicero in Tuſculanis quæſtionibus definit, motus aſper in corpore à ſenſibus a-

Lib. 2.

lienus,

lienus, cor tanquam FERRUM vulnerat. Quippe de dolore Mariæ Virginis scribitur. Tuam ipsius animam gladius pertransibit. Tument sicut FAMES, corpus lentè consumit. Scriptum est.n. spiritus tristis exsiccat ossa. Postremo, ut VENENUM multos occultè necat. Qui concepto ex re aliqua gravi dolore, cor exedi sibi patientur potius, quàm unum verbum, causámve ullam tristitiæ tantæ proloquentur. Vt non malè Varro mœstum à marcendo dictum putaverit, quòd mœrore corpus marcescat; & rectè Niobe dolore mortua, FERRO, FAME ET VENENO SUBLATA videatur.

POSTQUAM autem intelleximus, & Rem subjectam huic Ænigmati, quænam illa sit, & locum in quo maneat, ac modum quo interijt; reliquum est, ut quis hoc monumentum inscriptionis fieri curaverit, videamus. Si tamen prius dixero morē antiquis observatū, ut per intervalla mortui conclamarentur, quòd vitalis spiritus, ut Plinius ait, plerúmque exclusus putaretur, & homines fallere soleret. Hoc in exequijs Miseni apud Virgilium legimus; hoc in Nobilissimorū hominū funeribus, & pompis fieri solitum esse audivimus, hoc in hoc loco factū ab authore credimus, cū ait. LAELIA, CRISPIS, ALIAS IN CAVO ACUTO. Nam quòd suspicari nō nemo posset, quenquam aliū hic Crispis nomine intelligi, mihi quidē certè videtur alienū. Cur enim fuisse ALIAS IN CAVO diceret, nisi eā prorsus ipsam hîc intelligeret? Clamat autē Nioben mortuam hîc, non quidem nomine proprio, quod, ut dixi, fuit odiosum. Non etiam ÆLIAE, quod prius habuit à Sole, sed ad invidiam Dianæ, quæ sal-

Lælia, Crispis aliàs, &c.

Citat Rivallius lib. 2. hist. juris.

tem fœmina parcere fœmina debuisset, LAE-LIA inquit, CRISPIS ALIA'S, id est, ante quidem, ob mortem filiorum IN CAVO ACUTO, ut non accederet nova crudelitas Dianæ in septem virginum interfectione. Nam ita fabulæ argumentum narrat Lactantius, ut Dianam affirmet solā, filias Niobes occidisse. Quod non erat necesse, facere solam, cum antea simul cum Apolline filios peremisset. Quorum strage mater IN CAVO ACUTO & quasi jam exciso sepulchro posita sibi videbatur: tantus erat enim, támque altè conceptus animo dolor, ut exclamaret, per funera septem Efferor. Quasi jam amplius non viva, sed subitò funus effectat foret. Ergo priusquam Elogium affigit, esset ne mortua Niobe, vel adhuc in lapidem conversa tota, quasi dubitans, conclamat ipsam, & appellādo dedicationē facit Agathius, aut quisquis fuit. LAELIA inquit, CRISPIS ALIA'S IN CAVO ACUTO. Ille qui tibi est NEQUE VIR, NEQUE AMATOR, & in his nunc miserijs NEQUE FLENS, NEQUE RIDENS; SCIT, NESCIT CUI POSUERIT. Quasi diceret, Ego rei novitate stupefactus NESCIO CUI POSUERIM. Loquitur enim de se, ipse persona tertij, more veterum, & ætatis nostræ. Nam videmus hodiè amicos amicis isto modo loquēdi sepulchra inscribere. NON VIR dixit, quia NEQUE VIR verè fuit. Etenim VIR Amphiō se jam ipse interfecerat. NEQUE AMATOR superbæ mulieris, quæ se fecit sua insolentia Dijs & hominibus ingratam. Cúmque Agathius ipsa nominis interpretatione Vir bonus diceretur, ὁ μὲν ἀγαθὸς ὁμιλεῖ τοῖς ἀγαθοῖς, quia tales

les ferè ſumus, quales ſunt ij, quibuſcum vivimus, & oblectamur; committere nōluit, ut improbæ fœminæ AMATOR eſſet. NEQUE FLENS, quia pœna fuit juſta, nec alia quàm, Quæ venit indignè pœna dolēda venit. NEQUE RIDENS tamen, quoniam humanum eſt humanis caſibus ingemiſcere, non inſultare. SCIT quatenus hic corpus Niobes fuit: NESCIT, quatenus id amplius non eſt, ſed in lapidem mutatur. CUI POSUERIT hoc monimentum inſcriptionis, aut Elogium, quod ſequitur:

HOC EST SEPVLCHRVM INTVS CADAVER NON HABENS.
HOC EST CADAVER SEPVLCHRVM EXTRA NON HABENS:
SED CADAVER IDEM EST, ET SEPVLCHRVM SIBI.

Quæ eſt Latina interpretatio ex verbis, ſed non numeris totidem verſuum Ἀγαθίου τοῦ σχολαστικοῦ, εἰς Νιόβην inſcriptorum. Sicut in antiquis veterum Græcorum Epigrammatis leguntur.

Ὁ τύμβος οὗτος, ἔνδον οὐκ ἔχει νεκρόν.
Ὁ νεκρὸς οὗτος, ἐκτὸς οὐκ ἔχει τάφον,
ἀλλ' αὐτὸς αὐτοῦ νεκρός ἐστι, καὶ τάφος.

Quos ego Iambos cum eſſem Lovanij, Latinos à multis factos legi ſed in eis aliquid deſideravi. Paribus ergo trimetris reddidi; voluique ut ſit Græcè, ſic quodammodo alludere Latinè.

Hoc eſt ſepulchrum, nec ſepultum continens.
Hic eſt ſepultus, nec ſepulchro conditus.
Verùm ſepultus hic, ſepulchrum ſit ſibi.

Ex quibus verſibus ingenuè fateor, me totius hujus Æ-

nigmatis conjecturam fecisse. Qui cum de Niobe scribuntur, ut jam dixi, similiter esse intelligenda superiora putavi. In quo si quid erro, attamē non absque auctoritate. Quis autem in re tam dubia, & obscura, quicquam certi affirmet? Mihi verò maximè probabile videtur, hoc Elogium ejusdem prorsus esse argumenti, & intellectus cum inscriptione tota debere. Cujus quidem Elogij partes priusquam ad Narrationem accommodo, referam distichon, quod de Hyacintho in florem commutato pariter fecit Antonius Thylesius.

Lib. de colorib. cap. 6.

Nil opus Elogio redimere, aut Flore sepulchrum.
Ipse sibi Flos est, Elogiumq; puer.

Nam sicut hic Elogiū, intelliguntur duæ literæ Græcæ αἰ, quæ fletum, ejulatúmq; indicant, & in flore figurabātur ab Apolline; is enim fuit auctor honoris, (ut ait Ovidius) Ipse suos gemitus folijs inscripsit, &c αἰ. Flos habet inscriptū: Sic in elogio Niobes cum inquit. HOC EST SEPULCHRUM. Accipimus quia saxum est, ex quo sepulchra fiunt. Ita navigium ex integro ligno factum μονόξυλον Græci vocant. INTUS CADAVER NON HABENS quoniam, ut ait Ovidius, intra quoque viscera saxum est, nec ipsum concavum carnem & ossa, ut cadaver habet. HOC EST CADAVER opinione hominum, & judicio vulgi. Quia corpus mortuæ Niobes est. SEPULCHRUM EXTRA NON HABENS, quoniam quæ totius corporis extremitas fuit, eadem mutata nunc in lapidem, partes reliquas ut antè continet. SED CADAVER IDEM EST, ET SEPULCHRUM SIBI. cum omnes partes, quæ corporeæ erant, jam fa-

ctæ

ctæ sint saxeæ, sitúmque pristinum obtinentes, eadem prorsus symmetria contineantur, & idem continens, ac contentum sit, una convexitate aëris comprehensum, exq; uno, & eodem corpore, unum, idémque saxum mirabiliter efficiatur.

FELICISSIMO PRINCIPI, AC CELEBERRIMO CARDINALI, R. in Christo P. D. D.

CHRISTOPHORO MADRVTIO.

HVMILIS SERVVS MARIVS MICHAELANGELUS Æternam salutem, & seipsum.

MISSUM hoc fuit Ænigma, SAPIENTIS. PRINCEPS, ad celeberrinium Gymnasium Patavinum, si fortè aliquod veræ intelligentiæ lumē assequi posset. Quod quidem exponendum omnibus sapientiæ professoribus, quando mihi etiam, uni vero eorum minimo, ex animo liberali illius Iurisconsulti optimi, virique integerrimi Antonij cognomento Catharo oblatum vidi, non parum substiti. Cujus fidei primo commissum ab illis Academicis Mediolanensibus, viris quidem doctissimis jam fuit, ut hoc negotium cum omnibus præclarè ageret, quantum ipse speraret, si

quam suo termino perspicuam, ac veram expositionem inter omnes accommodaret. Quod quidem certè accuratissimè egit. Sed posteaquam hoc sæpius perspexi, tum demum judicavi laborē dignissimum, & summo studio esse amplexandū. Quocirca si profecto mihi evenire possit, ut quātumcunque possim in eo quoque laborare, laborē, studiúmq; meum his sapientissimis viris esset gratissimū, quod pariter tuæ summæ dignitati, & sapientiæ jucundissimum fore existimavi, quemadmodum ab eo profectū qui ex familiaribus tuis intimis atque percharis perpetuo extitissem. Ad te igitur Principem suavissimum has meas vigilias mitto tuisq; charis, ac familiaribus exhibeas oro, ut animum eorum, & intellectum si quid boni, ac optimi in me fuisse viderint, sibi amicissimo gratulentur, & tuæ præclarissimæ amplitudini gratiam immortalem habeant. Id libenter itaq; accipias, & tua summa virtute non modo tuearis, verumetiam foveas obtestamur. Quoniam habes intellectum, qui scit omnia à Deo esse, & ad Deum omnia referre, cujus motus est ejus voluntas Divini luminis ardens, quod dat huic homini veram ambulandi lucem, quæ lux est Christus dicens: Ego sum lux mundi, qui sequitur me non ambulat in tenebris, per quam veram lucem nos philosophādo scimus animum imprimis purgari, & ad Dei contemplationem, atque cultum Divinum summa cum pietate reduci. Vnde Deū colimus & causam causarū inventam veneramur. Deinde verè scimus animum purgatū esse, ut speculū, in quo Divini vultus imago reluceat, & Divini spiritus inhabitent. Postremo autem nos verè scimus tali virtute, ac dignitate ornati, per singula

gula vestigia Deum ipsum indagare, & ipsum per ipsum in hujusmodi animi specie cum nostri cognitione invenire: nec invenire enim homo Deũ verèscit absque sui ipsius cognitione. Quod Divinum hoc oraculum apud antiquos fuit maximum tum fidei, tum sapientiæ, estq; etiamnum observatissimum apud viros verè religiosos. Quare hoc tantum unum velim scias, ILLUSTRISSIME PRINCEPS, & me omnibus votis tuis atq; præceptis sanctissimis deditissimum semper fore. III. idus Septembris. Patavii. M. D. XLVII.

Saturnus qui est septimus ex novem gradibus Cœlestium Spherarum, quarum sunt illæ novem sanctissimæ musæ, secretiores infundit animæ humanæ intelligentias, trãquillasq; mentis contemplationes in sanctissimo Dei tandem mysterio, quæ excogitatio quidem fit per Ænigmata, perq; Divinas imagines.

MARII MICHAELIS ANGELI AD ÆNIGMA

Expositio de Aqua pluvia.

AM. PP. D.

IN his quinq; characterib. SAPIENTISS. PRINCEPS, virtus totius Ænigmatis cælatur, ideóq; eum qui scire velit, lumen, & clavem habere oportet; lumen ad inveniendum, clavem ad aperiendum: lumẽ enim à Deo, clavem verò ab intellectu petere operæ precium

 est,

eſt, cui Deus nativitatis ſuæ principio deſignavit in numero quinque talentorum, ut quinque ſuperlucrari debeat, quòd autem in dies hoc laborare minimè deſiſto : quæ quidem antè omnem meum in eo ingreſſum Religiosè feci, & dixi eſſe unum ex quatuor Elementis in creaturis : quando omnes ejus partes, cauſasq; perſpexi, & afflatus tanto lumine vidi pluviam ex aqua maris eſſe, quod eſt Elementum aquæ, quam Deus aridæ terræ parat, & ex abundantia ſuæ bonitatis pluit, & ita apperui hujuſmodi intellectum dicens : AQUAE MARIS PLUVIAM PLUIT DEUS, qui operit Cœlum nubibus, & parat terræ pluviã. Pluit Deus, quando dixit, Ego Dominus pluam ſuper terram quadraginta diebus, & quadraginta noctibus : Pluit itaque Deus denique pluviam ſuper terram, quia terra arida eſt, ut terra germinet herbam virentem, faciens fructum juxta genus ſuum ad producendum animam virentem, jumenta, reptilia, & beſtias ejus.

ÆLIA, LAELIA, CRISPIS, Pro hujus Ænigmatis intelligentia, ac ejus enucleandi cauſa pro virili hunc figurandum tropum pluviæ denique aſſignamus, quæ rectè dicitur HAELIA, LAELIA, ideſt ἡγιὰς Græcè, quod patronymicum eſt ut filia ſolis. Nam Sol Græcè ἥγιος appellatur, qui eſt omnium inferiorum pater, cujus calore ſoluta pluvia cadit ſuper terram, & omniũ vegetabilium, ſenſibiliúmq; corpora ſuo nutrit liquore, ac paſcit.

HAELIA cum aſpiratione ſcribi debet, ſed majoris ſpeculationis cauſa abſq; H. ſcribitur ab Ænigmatiſta.

HAELIA, LAELIA modus eſt dicendi, quæ ſupe-

ſuperabundãtia latinè græcè autẽ πλεονασμός dicitur, quæ eſt qualiſcunq; geminatio, repetitio, & adjectio, vel. L. additur aut per agnominationem, aut per appoſitionem, quæ Comicis frequẽs eſt. Hæc HAELA, LAELIA dicitur cognomẽto Criſpis, & rectè: quia propriũ eſt pluviæ in cadendo, quæ ſplendet, & vibrat: ideo rectè Criſpis.

IN convivijs apud antiquos ad exercendũ eorum animũ, ac animi recreationis gratia SAPIENTIS. PRINCEPS, ſolitum erat ad utranque partẽ plerunq; aliquid arguere, ac differere, ſi quidẽ omnia, quæ ſunt ſub Luna compoſita pariter eſſe, & non eſſe dicuntur. Vnde præclariſſima Ænigmata orta fuerũt, quæ divini Philoſophi divintus effundebant: ſicque naturaliter etiam intelligi poteſt partim hoc Ænigma eſſe verè compoſitum, partim verò divinitus.

NEQUE VIR, NEQUE FOEMINA &c. Hoc eſſe pluviam ſciat, qui pluviæ definitionem, motus, actusq; ſuos novit. Nã pluvia ex terræ, & maris halitu, atq; vapore oriri dicitur, & terra, & aqua ſuper corpora, quæ ſunt ex quatuor Elementis compoſita, habent multũ tum facultatis, tum virtutis. Vnde Thales Mileſius ait: Aquam eſſe initium rerum omnium: Deum autẽ eam mentem eſſe, quæ ex aqua cuncta gigneret, hoc autem, quia aqua medium Elementum eſt inter terram, & aërem, & utriuſque naturam habet, quoniam ex aqua oritur aër recto ordine, retrorſum autem terra. Quorum viciſſitudinem mundi ex continuata natura. Nam recto ordine ex terra aqua, ex aqua oritur aër, ex aëre ignis diverſus ab alijs Elementis, ſecundum quoſdam Philoſophos: Quod Elementum ignis non datur.

Dein-

Deinde retrorſum viciſſim ex igne aër, ex aëre aqua, ex aqua terra infima, & quia Deus eſt mens omnium, quæ ex aqua oritur, quemadmodum ille ſummus rerum omnium artifex movens, & non motus, cauſa cauſarum primum exemplar: Qui corporibus infabricandis principio primam nudam materiam accipit, deinde Elemẽta in ſpeciem humorum producit: poſtremo humores in membrorum formas digerit, membriſq; addendo, nutriendi ſpeciem ſibi cõjungit, & ſentiendi, & intelligendi. Nam corporũ naturalium ordo is eſt, ut deſcendat in primam materiam, & aſcendat in ultimam formã. Itaq; jam devenire oportet unde digreſſi neceſſario ſumus. Quamobrẽ dicimus, quòd PLUVIA, prout eſt ſimplex Elementũ, cum ſit poteſtate omnia, actu NEQUE VIR, NEQUE FOEMINA, NEC ANDROGYNA eſt: tamen ET VIR, ET FOEMINA, ET ANDROGYNA EST, ſicut eſt Elementum animalibus compoſitum propter generationem. Et pari ratione dicimus, quòd NEQUE IUVENIS EST, NEQUE ANUS: nihilominus eſt. ET IUVENIS, ET ANUS ſecundum tempus. Quòd NEQUE CASTA, NEQUE MERETRIX: tamẽ QUANDOQUE CASTA EST, QUANDOQUE MERETRIX ſecundum varios eorum in animalibus affectus, paſſiones, ſtatúsque ſuos. Et eſt modus figurandi ſtudioſè dictus cum à parte totum intelligitur. Ideóque illud ipſum verum eſt Elementum, cujus quælibet pars ejuſdem generis eſt cum ipſo toto. Nam ut aqua, quam videmus, & potamus, ea verè dici poteſt eſſe elementum aquæ: quoniã ejuſdẽ generis eſt cũ ipſo toto, & ſic de alijs etiã.

NEQUE

NEQUE COELO, NEQUE TERRIS, &c. Hoc esse videmus in pluvia, quando est in nube. Nam dum in nube est, NON IACET IN AERE; & tamen jacet, cum aër humidus sit, ut aqua. Hic COELUM PRO AERE accipitur. Et NON IACET IN TERRIS: quia in nube est, nihilominus jacet, cum terra frigida sit ad similitudinem aquæ. Et NON IACET IN AQUIS, hic studiosè dixisse videtur cum ea sit in nube. Et tamen jacet: quia pluvia est pars Elementi aquæ, & ejusdem generis cum ipso toto, quæ tanquam duobus brachiis terram, & aërem amplecti videtur: nam frigido terram, aërem verò humido. Quod autem istud sit verũ, non intelligi, nisi de pluviali aqua, eo loco percipi vere potest, cum dictum non fuerit eam jacere, vel non jacere in igne; quoniam ignis calidus est, & siccus, aquæ contrarius, in quo nec humidi, nec frigidi aliquid esse potest, ut inest aquæ.

SUBLATA NEQUE FERRO: &c. Hoc etiam non latet esse pluviæ, ut est Elementum omnibus in animalibus, quæ mortem effugere non possunt AUT FERRO, AUT FAME, AUT VENENO. Nam homo animal haud secus moritur. Ac una horum trium; ideóque pari ratione dicimus pluviam, prout est Elementũ non emori: tamen cum his emori, secundum ejusmodi animalis mortem, non autẽ ejus mortem. Quoniam Elementum est prima pars corporis in compositione & ultima in resolutione: ne hoc quàm mox intereat, quod in aliam naturam non convertitur. Omnis enim natura necesse est, quòd non solitaria sit, neque simplex; sed cum alio juncta, atque connexa.

LAELIA

LAELIA, CRISPIS, ALIAS IN CAVO ACUTO &c. Hanc obſcuram allegoriam tenent pluviales aquæ in aliquam obſcuram foveā emerſæ;in qua ſtãdo ſtant, ut aqua uſui humano inutilis,cū ſit omnibus viventibus occulta. LAELIA CRISPIS id eſt, pluvia vibrans aliterquàm erat in nube, ac ejus proprio ſitu ; ſtat nunc alio in loco aſpero, & duro, ut pluviales aquæ, quæ ſunt in profundiſſimis montium cavernis, ubi in his concluſæ ſtantes facilè corrupūtur. HAEC LAELIA SCIT, dum illic ſtat, NON eſſe VIRUM intelligentē NEQUE AMATOREM, id eſt, nec ſenſum habere, nec appetitum deſiderabilem agendi, NEC FLENTEM, NEC RIDENTEM, id eſt, aliquas animi paſſiones non habere; quæ in duo dividuntur, in dolorem ſcilicet, & gaudium, ET NESCIT ad quem pervenire poſſit, ut vivat, aut vir,aut amator, aut flens, aut ridens: ſicq; plorās illic ſtando, expectandóq;. Vel etiā eo modo hæc LAELIA CRISPIS illic ſtando SCIT NESCIT,cui poſuerit: SCIT nunc quod VIR NON eſt pro homine ſciēte, NEQUE AMATOR pro homine deſiderante, ſenſibúſq; ornato, NEQVE FLENS pro paupere, NEQVE RIDENS pro divite, & NESCIT cū illinc exierit, cui hæc Lælia potuerit eorum vita eſſe. Vbi hic Ænigmatiſtes denotat, ac exprimit quem libet omnium mortalium ſtatum.

HOC EST SEPULCHRUM &c. Hic quoq; notandū INTVS ET EXTRA pro pluviæ ingreſſu in eam foveam, ET pro exitu ex ea, quando ad ſitum locum redit ſuum,nam cum aqua concluſa ſit aſpera fovea, corrumpitur; & è fecibus ſuis fovea demiſſa pro tempore per anguſtos terræ porri-

mea-

meatus, transit ad mare, situm suum, & è fecibus vapores, & è vaporibus fiunt pluviæ, quæ terræ, & maris halitu nascũtur: sicq; hęc LÆLIA INTVS stando habet eã foveã in SEPVLCHRVM, &, & NON EST CADAVER, quia mortua non est; cum autẽ extra sit è fecibus suis, & è fovea, fovea CADAVER habet suam fecem; & non est amplius ejus LÆLIÆ SEPVLCHRVM. Quoniam per angustos, atq; strictos calleis ad suum situm rediit, ut in propriũ Elementum, quod est mare. Sed postquã ejus feces resolvuntur in vapores, & vapores in pluviam tunc hæc LÆLIA CRISPIS in seipsam reverti dicitur, & SEPVLCHRVM SIBI ESSE, ET CADAVER, cum id totum habeat, quod in foveam miserius erat. Vnde ex asperis, ac duris montium cavernis hæc LÆLIA CRISPIS liberata gaudet. Nos autem huic suavissimæ Læliæ gratias, tibi ILLVSTRIS PRINCIPI virtutẽ, Deóque summo rerum omnium opifici gloriam maximè referamus.

Hoc Elementũ aquæ, SAPIENTIS PRINCEPS, cæteris virtute, ac dignitate præstat, & antecellit, nã stat in Cœlo, nutrit terrã, sanat ægrotos, liberat oppressos, lavátq; criminam ũdi, magnum quidem est, & admirabile sacrosanctissimũ aquæ mysteriũ, quod intellectus noster penetrare non potest. Fecit enim Aaron Deo sacrificium de pane, & vino: David verò ex aqua, quæ tria sunt in uno sacrificio mundo, non sicut carnes pingujum taurorum. Aquam Hælias infundit super sacrificium, & Deus ignem è Cœlo misit, & acceptavit sacrificium cum aqua perfusum. Aqua & sanguis ex latere Iesu Christi exivit, qui dixit: Ego sum fons aquæ vivæ, si quis sitit ad me

me, & bibat. Vnde intellectus meus quiescit & tanto vitæ suæ lumine vivit, ac profectò sperat amat, firmiterq; credit. Aqua inter viventia semper viva suum habet locum, ut una ex quatuor filijs totius matris naturæ in mundo. Vnde secũda ætas in concupiscendo, cum voce tantum in hominem proficisci videmur, nam solus sapiens, homo verè dicitur, quemadmodum Philosophi naturalia esse, optimè existimant. Non autem modo in terris divinitus hoc invenitur Elementũ aquæ, verumetiã in Cœlis, in Stellis, in Dæmonibus, in Angelis, inq; & ipso denique summo omnium rerum opifice Archetypo Deo, qui est fons aquæ vivæ mundificãs, & regenerãs, de quo in sacris legitur; Aperiatur terra; & germinet salvatorem. Assignatur itémque aquæ magnus ille Princeps Angelicus Tharsis, & ex ordinib. Angelicis sunt profectò aquei Throni; & Archangeli. Sicque Elementũ aquæ ubique & semper in omnibus, suo reperiri modo nemo negare potest tam mortalibus, quam immortalibus.

Ego, Inclyte PRINCEPS, ne quid boni, aut virtutis, aut sapientiæ profectò habeã, quin velim tuæ optimæ voluntati prius verè obsequi, quàm mihi laboranti & indigenti; ex hoc autem scire potes, FOELIS PRICEPS, & me in quot & quãtis suavissimis cathenis fidei devinctum habeas. Qua re me & tuæ summæ virtuti, & summæ bonitati oblatum jam summopere commẽdo: quoniam si meum studium, atque laborem tibi suavissi PRINCIPI pergratũ aliqua in re esse cognovero, dabo operã, ut pro singulari erga me benevolẽtia graviora accipias. Deus itaq; & natura in perpetuũ hujusmodi summũ in te officiũ meum, & summam observantiam perpetuò fortunent.

ILLV-

ILLVSTRISSIMI COMITI,
ATQVE EQVITI,

MARCO MANTVAE BENAVIDIO,

IVRECONS. PATAVINO.

RICARDVS VITVS S. D.

ARISTIPPVS ille Cyrenaicus Philoſophus, cum à quodam ſibi propoſitum eſſet Ænigma, & ut confeſtim ſolveret, importunè rogaretur. Quid inquit, inepte, vis ut illud ſolvam, quod nunc, etiam ligatum nobis negotium facit? Sanè quidem facetè prudentiſſimus Vir ſignificare voluit, Non eſſe ſapientis ad ea quæ interrogantur, ſubitò reſpondere, in re præſertim difficili, & obſcura: ne ſi minus conſideratè reſponſum ſit, duplex patefiat ignoratio, tũ ejus, qui rogavit, quoniam dubitaverit, tum ejus, qui rogatur, quòd reſpondere neſcierit. Poſtquam igitur MARIO contigiſſe in hac CRISPI viderem, ut ſolutum ab ipſo Ænigma, majus, quàm cum eſſet ligatum, negotium exhiberet; ſcirémque quid huc adferri melius & aptius poſſet, volui ſecretum hoc Antiquitatis patefacere, nec illud ſinere in perpetua hominum ignortaione verſari; ſed in illuſtri nomino tuo MARCE MANTVA apparere qui Antiquitatum ſummus amator es, earúmq; præ-

clariſſimas reliquias non abſque magna ratione collegiſti. Nam cum Antiquitas proximè accedit ad Deos, hominéſque Antiquos, tanquam Dijs proximos, & quos ἥρωας Græci vocant, veneramur & colimus; imagines, ſtatuáſq; ipſorũ intuentes, cogitamus quidem corpus virorum fortium, magnorũmq; hominum eſſe mortale; animi verò motus, & virtutis gloriam ſempiternam. Quam perfectò cogitationem, cùm omnes nos habere debemus, tum ſenes maximè, qui tranſacta benè, & feliciter ætate, ac multorum annorum decurſis ſpatijs, ex hac vita ad Deos videntur evolare. Itaque hanc CRISPIM meam; jure enim Meam voco, quã ego inveni; tuam MARCE MANTVA, fieri volo, cujus ſenectutis cauſa de Animæ dignitate ipſam, atque immortalitate anagogicè interpretatus ſum. Quod honeſtius eſſe judicavi facere, quam MARII conjecturam rationibus confutare. Cum ille tibi æquè notus ſit, & ab ANTONIO CATHARO laudetur.

QUEM quidẽ CATHARVM poſtquàm abs te audivi, fuiſſe ſicut me ipſum, auditorẽ quondam tuum, committere nolui, ut à me verbo uno læderetur. Quòd ſi autẽ nunc interroges, ut pro jure Auditorij potes, cur ego, Non juris nodos potius, & Legum Ænigmata ſolvam? tametſi alterius Poëtæ verſu, qui in parietib. domus tuæ, ipſiſq; portis ſcribitur; reſpondere poſſem, (Iuve. ſat. 8.)

Deus nobis hæc otia fecit: tamen quia tam otij quàm negotij rationem oportet reddere, tibi eam ſtatim propono.

RICAR-

RICARDI VITI
AD ÆNIGMA INTERPRETATIO DE ANIMA.

QUONIAM initio pollicitus sum, me post Narrationem solutionis, hoc Ænigma interpretaturum, quod Marium dixi de Aqua pluvia aliene exposuisse: fortasse nunc aliquis expectat, ut & fidem liberem, & confutem Marium. Quorum illud mihi multo, quàm hoc, facilius est. Nam cum Antonius Catharus, ad quem Mediolano transmissum Ænigma fuit, quique neminem Academicorum, nec aliorum quamtumvis doctissimorum hominũ fuisse inventũ quenquã dicit, qui sensum aliquẽ accommodare ei potuerit; sic à Mario erudiɫè tanque acutè expositum affirmat, ut doctissimi hujus civitatis non solum infinitis laudibus extulerint, sed illud quoque admirati sint: profectò mihi non tam carpẽdus Marius foret, quàm in ipso essent tot eruditorum hominum judicia reprehendenda. Id quod in hac causa, quæ est posita in conjecturis facere: arrogantis esse judicavi. Antonium tamen Catharum Iureconsultum laudare non queo, nisi quid amici gratia peccaverit. Nam cum Philosophi nobis Aquam pluviam, & stillicidia, ut res exiguas, & ad disputandum ineptas objiciunt, qua fronte poterunt ipsi tantã in eis SAPIENTIAM, quod nos non facimus, collocare? quomodo Aquam pluviam

omnium artium, & scientiæ quasi domicilium constituere? eámq; VIRVM, FOEMINAM, IVVENEM, ANVM, CASTAM, MERETRICEM natura invita & reclamante appellare? idq; Iurecõsulto auctore & laudatore? Rectius itaq; & cõmodi⁹, ut mihi persuadeo, hęc ad ANIMAM universa referemus, dèq; ipsa interpretabimur. Præsertim cũ similis apud nos scribatur historia de uxore Lothi; quomodo illa in cõbustione Sodomæ, & Gomorrhæ jussa ab Angelis, ne respiceret ad Vrbes, contrà faciens, versa fuerit in statuam salis. Sibi enim Deus obtemperari vult, séque à nobis coli. Nec semetipsum solum, sed etiã suos. Quod Poëta significavit, non Dijs Nioben, sed Deorum matri, Latonæ rebellem faciens; punitam tamen ab ipsis Dijs, Apolline, & Diana. Atque hæc est illa TANTA VIRTVS Humilitatis, elicienda ex fabula, & in ANIMAM infundenda. Quam VIRTVTEM ita laudavit Propheta Rex, ut dixerit se priusquam humiliaretur, semper deliquisse. Quam ANIMAM nobis significat Niobe Regina, secundis rebus inflata, & obliviscens Deos; adversis sic attonita, ut nimio dolore obmutuerit, quasiq; lapidescens malis diriguerit.

Gen. 19. — Psal. 118. — Am. &c.

Pulchrè igitur ANIMA MORTALIVM, PRINCIPALIS PARS, DICITVR; cũ Reginæ comparetur, VIRTVTIQVE mansuetudinis, quæ in Latona fuit, adhærens, se ipsa cognoscit, séque inani abstinet elatione. Quod ut meli⁹ faciat, MORTALIVM ANIMA vocatur. Scit enim imperium suum morte terminari; ne quid supra se, contràve immortales Deos efficere conetur; homines enim licet participes rationis, ut Angeli, cæterique spiritus sunt, MORTALES

tamen

tamen appellantur: quia necessitati mortis tunc subijciuntur, cum sit dissolutio naturæ, quæ est animæ à corpore separatio. Quippe ANIMA est immortalis ipsa, neque hac constringitur necessitate. Quare eã Græci ἡγέμονικὴν, Latini PRINCIPALEM idcirco vocant, quòd existẽs in mortali corpore, à morte sit ipsa libera, corporéque utatur tanquam domicilio, Vnde Salustius: Nostra omnis vis (inquit) in animo & corpore sita est. ANIMI IMPERIO, corporis servitio magis utimur, cum imperare deceat id, quod profectum à Deo, in homine obtinet PRINCIPATVM.

QUOMODO autem ANIMA profecta sit à Deo, tametsi nimis fabulosè, tamen eleganter docent Poëtæ. Ad quos libenter redeo, quòd in his hactenus versatus sim.

NARRANT igitur Prometheũ, è luto hominẽ inanimũ finxisse, idq; opus admiratam Minervã promisisse omnia adjumenta ad illius perfectionem, quæ posset ipsa adferre. Cujus beneficio elevatus in Cœlum Prometheus, cum videret Cœlestia omnia flammis esse animata, clanculũ ad rotas Phœbi ferulam admovit. Eàque accensa ignem furatus, reportavit in terram, fictíque ab se hominis pectori applicans, ipsum animavit. Vnde, ut ait Virgilius, Igneus est illi vigor, & Cœlestis origo: à qua nunc hìc HÆLIA nominatur; Vel quòd, ut in Physicis ait Aristoteles, homo hominem generet & Sol. Nam, & similiter LÆLIA dicitur à Luna, quæ latentem quandam vim in animis hominum exercet. Nempè Lunatici qui vocantur, morbo ANIMI quodam, furoréque laborant; non illo quidem continuo, sed constitutis Lunæ intervallis recurrente.

Ælia, Lælia, &c.

Quin & CRISPIS appellatur, vel quòd hæc patiatur à calore, vique horum planetarum: vel quod plus exornet hominem, quàm Crispi CAPILLI conducant ad formam mulieris, idque adeo, ut ipsa hominis forma meritò vocetur. Et idcirco NEQVE VIR, quæ inest in viro, NEQVE FOEMINA, quæ in fœmina, NEQVE ANDROGYNA, quæ in utroque, qui est Hermaphroditus. Non hercule magis, quàm rationis vis, quæ præcipua pars universæ animæ est, isto modo distribuitur. Nam cum particeps rationis, differentia hominis efficiens sit; Hominē autem Dialectici speciē vocant; necesse est hanc rationis differentiam esse antiquiorem, quàm illas sexus differentias. Quod est autem sic antiquum, & naturale, ut in homine Ratio, non diffunditur ita naturaliter, magis minúsve in ea; quæ nisi in individuis sub speciem subjectis, & in personis singularibus nunquam reperiuntur. Quibus ita constitutis. NEQVE IVVENIS erit anima, quæ inest in juvene: NEQVE ANVS, quæ in anu. Cum immortalis, & æterna nullis temporibus distinguatur. Sunt verò hæc ætatum duo uti dixi, tempora extrema. Quorum vis maxima cernitur in corpore. Vt propter ipsum corpus, NEQVE CASTA sit anima in juvene, neque Meretrix in anu. Quando ætas, ut dixi, sola, LIBIDINIS arguat puellas, & vetulas CASTITATE defendat.

Neque Vir, neque Fœmina, &c.

QUAE tamen non ita vera, certáque sunt, ut retorqueri singula non possint, ANIMAQVE dici VIR, quæ fortitudinem: & FOEMINA, quæ ignaviam parit. Vnde Imperator apud Ennium, ut Cicero refert, exemplo Cloeliæ virginis, suorum

Off. 1.

rum militum ignaviam juſte increpans, Vos etenim juvenes, inquit, ANIMOS geritis MVLIEBRES.

ILLAQUE Virgo, viri. Quibus ex verſibus etiam illud apparet, quo modo dicenda ſit anima Androgyna: cum virgo viri, & VIR MVLIEBREM gerit. Quemadmodum de Thomyri, & Semyrami, de Sardanapalo, & Hercule amatore veterum hiſtoriæ tradiderunt. Propius autem in uno, eodémque homine dicitur, ANDROGYNA, ut in inconſtante, in incontinente, in meticuloſo, & ſimilibus: quorum contrarijs, ſibíque invicem repugnantibus affectionibus referta omnis Comœdia eſt. Quis enim Thraſonem apud Terentium non ridet, abſente Thaide militem glorioſum eadem præſente, quavis ancilla ignaviorem? Nunc cur anima vocetur IVVENIS, apparet in impubere, quem Paulus ait, naturà prohiberi judicem fieri, quòd animi judicio careat. Non quò ANIMAM non habeat, quantam alij; ſed quoniam ea quantum valeat per ætatem adhuc oſtendere non poſſit. Proinde Terentianus ille Parmeno; Pueri inter ſeſe, inquit, pro levibus noxis iras gerunt. Quia, qui eos gubernat ANIMVS, infirmum gerunt. Quæ cum ita ſint, dicetur etiam ANVS: non quod ſeneſcat unquam: ſed tunc, quando in hoc corpore virtutum & artium perfectionem conſequitur. Ob eámque cauſam, niſi fallor Quintilianus affimat, præcocis ingenij pueros citius mori: quaſi ad ſenilem quandam ſapientiam antè tempus à natura conſtitutum pervenerint. Sicut ergo ANVS de ijs quæ vidit, quæque audivit, decurſa jam ætate libenter loquitur: ſic animus ſapientis, & ſenis viri, uni-

ff. De judicijs l. cum prætor. § non autem. inſt. quibus non eſt pro. fa. teſt. §. præterea.

versas rerum, quas percepit, comprehensiones simul intuens, sæpè, multúmq; ratiocinatur. Atqui quòd CASTA nominetur, id ANIMA non ex corpore habet, sed ex sua ipsius puritate. Nam permistione corporis coinquinatur: ut omnis vitæ honestas, & turpitudo magis actione corporis, quàm ulla animi cogitatione perficiatur. Si tamen illa actio est voluntaria. Quippe Lucretiam corpore quidem maculatam, historiæ CASTAM vocant, quòd animo esset talis, nec in adulterium consensisset. Ex quo, quæ contrà facit, MERETRIX appelletur. Etenim scribitur, Qui viderit uxorem alterius, & eam concupiverit, ANIMO suo mœchatum jam esse. Videre primum, est corporis; concupiscere secundum est ANIMÆ, quasi consentientis corpori propter stimulum carnis. Qui quanquam est gravis, tamen ANIMVS restitisse potuit. Quòd quum non facit, peccat, ut actio nulla consequatur. Eáque opinio vera est Theologorum.

De pen. dist. 2. cap. si cui etiam. neque Cœlo, &c.

A QUIBUS me nunc justas ob causas retrahēs ANIMAM dico, NEQVE COELO, ut beatas illas, & Cœlestes, NEQVE TERRIS, ut brutorum animantium; NEQVE AQVIS, ut piscium, SED VBIQVE in humano corpore IACERE. Cujus nulla pars, si vivit, anima caret. Sed ejus tamen præcipuam sedem in corde multi, quidam in cerebro, nonnulli in sanguine posuerunt. Ita cum hoc corpus ex quatuor Elementis compositum sit, modo quodam resolutionis dici potest ANIMA IN COELO, hoc est, IN AERE, IN TERRA, ET IN AQVA IACERE. Non addit quartum Elementum IGNIS, ne cui absurdum videretur ipsam in se ipsa contineri: cum

antè

antè dictum sit, quendam vigorem, naturámque ignis in anima inesse, quæ & ignis sæpenumero sine ulla adjectione nominatur. VBIQVE autem IACET, quod in his Elementis natura reposuit, quibus res omnes conficiuntur, quibúsque locus nullus in hoc mundo, quem colimus, vacat.

QVA propter SVBLATA dicitur NEQVE FERRO, NEQVE FAME, NEQVE VENENO. Quando enim discedit à corpore, illud potius relinquit, quàm aufertur ab eo, mors autē ea, quę tribus his modis fit, corporis quidam interitus, animæ nullus est, quæ cum spiritus sit. Nihil vi corporea illatū patitur. Sponte igitur sua; & quasi in somno recedit. Vnde Ovidius, Quid est (inquit) somnus, gelidæ nisi mortis imago? sed omnibus tamen his modis auferri quodam modo potest, quū FERRO, FAME, ET VENENO vita hominibus adimatur. Quam quidā vitam Aristoteles definit, actionem ANIMÆ esse in corpore. Ita ut SVBLATA semel per hujusmodi vim hac tali actione, ipsam quoq; ANIMAM auferri sit necessarium. Quæ nisi quid agat, mortua videtur. Est enim ANIMA vitæ propria, qua sētimus & movemur: ANIMVS verò cōsilij, quo sapimus & intelligimus, qui & ipse ab ANIMA dictus est, eíq; sic adjunctus, ut in ipsa contineatur. inter quę distinguere tametsi est hodiè, perdifficile, cum promiscuè utamur, mihi tamen faciundum necessariò, ut planiorem accipiant quæ sequuntur interpretationem. Quomodo enim aliàs animorū immortalitatem ab hac funebri conclamatione defendero?

Sublata neque ferro &c.

CVM igitur ANIMA vivendi (ut modò distinguebā) ANIMVS autem intelligendi vim habeat: sit ut

Lælia Crispis, &c.

fit ut nimis altè intelligendo, homines aliquando minus vivant. Quòd obscurè à me dictum rationibus & exemplis declarabo. Docet in Phædone Plato, quòd ANIMVS ad intelligendum, eáq; quæ supra se constituuntur, considerandum, duobus ferè modis erigatur.

PRIMùM quidem, ut à perturbationibus, honesta morum ratione subductus, (quod Purgationem vocat) post deinde à sensibus, ac phantasmatis, diligenti quadam intentione contemplationis elevetur. Benè purgatus enim ANIMVS rebúsque altis, & Divinis vehementer intentus, eam cogitationum gustat dulcedinem, quam verbis nequeat explicare. Quam ut perpetuam sibi faciat, libenter è corpore sit evolaturus. Sed eum impedit ANIMA magis alligata corpori, cumque ipso tum præcipuè consopita, cùm potissimum ANIMVS viget. Qui tanquam duplici, ANIMÆ quidem, atque corporis carcere constrictus, effugere nullo pacto potest. Quod ergo solum potest, hoc facit; ut efferatur ipsa contemplandi vehementia, & quodammodo abstrahatur. Inq; ea tanquam in summa, nobilíque arce constitutus, despicit ANIMAM depressam, & quasi demersam in corpus, locum Divinæ intelligentiæ, æternitatíque contrarium. Tanquam igitur mortuam conclamans hanc, LÆLIA inquit CRISPIS, non vocat HÆLIAM, quæ nullis intelligendi radijs sit illustrata. Vel si aliquibus tacta quidem est, illis tamen levioribus, qui virtutem ex Divinis accipiunt, ut Luna splendorem à Sole. Vnde nunc LÆLIA tantùm dicitur, cum non cujusvis sit, hoc modo Philosophari: sed ejus solùm, cujus ingenij lumen Divino igne accendi

tur.

tur. Vel aliter, nec HAELIAM vocat, quam sic infirmam, atque ad sublimia intelligenda inbecillem judicat, ac si adhuc in utero, duplici similiter carcere, embryonis, & ipsius uteri conclusa foret. Quo tempore à Phœbo nominari HAELIA non potuit: cum ille quasi φῶς τοῦ βίου, vi nominis intelligatur, & hæc nullam vitæ lucem adhuc aspexerat, ALIAS igitur, hoc est, antequã in lucem exiret; IN CAVO ACUTO, atque utero matris ab embryone fuit. Quod est ita dictum, ac si nunc illa, non plus in suo corpore præclaras res intelligeret, quàm tunc in utero matris intrusa intelligebat. Significans molem corporis hanc, quam CAVUM ACUTUM vocat, omni ANIMAM acumine privasse, & hebetem æquè ac LAPIDEM fecisse. Nam ACUTUM non semper, id est, quòd pungit. Sunt quædam, quæ forma ipsa, & figura dicuntur ACUTA, ut apud Mathematicos anguli. Item ea, quæ à terra eriguntur, ut homo, quæque ACUMINATA sunt. Ergo ANIMUS hic, cum ad inclamationem suam nihil ANIMA respondet; nec ad ea quibus ipse oblectatus est, movetur: jam NEQUE VIR ejus, quæ virtutem non ita magni facit. Nam à viro virtus nominatur. NEQUE AMATOR illius, quæ pulcherrimas res aspernata, corpore ipso, suisque rebus contenta est. NEQUE FLENS, ut in Heraclito, hominum miserias, in quas hæc per inscitiam casura videtur. NEQUE RIDENS, ut in Domocrito, mortalium ineptias, quarum ista nunc est summè studiosa. SCIT, quatenus dæmonibus, & spiritibus omnia percipientibus naturà conjungitur. NESCIT quatenus in corpus

pus detrusus, & ab anima retentus, cum ipsa simul obscuratur: CUI POSUERIT, hoc judicij sui, quod sequitur testimonium.

QUOD priusquam expono, exempla, ut pollicitus sum, adducā, erit enim planius. Nam quibus rationib⁹ altè sapimus, quóq; modo ANIMUS Divina cōtempletur, hactenus expressum esse arbitror. Quæ profectò contemplatio, quanta sit dignitas animorum nostrorum, quanta sciendi vis, quantáq; potestas intelligendi, sola videt. Et sola Philosophiam cognoscit, mortis esse commētationem: ita ut accurata studio cogitandi, viros Sapientes quodammodo extra se positos plerunq; faciat. Non ut impiè definitionē intellexit Cleombrotus, qui se præcipitem è sublimi dedit. Sed ut Ioannes Scotus Philosophus noster melius. Qui tam intentè studijs incumbebat, ut quadam velut exstasi sibi ipse abriperetur, & sepultus esset vivus: ignorantib⁹ hoc socijs, nec ipsum (quod suprà dixi fieri solere) conclamantibus. Rectè itaq; hanc ex nimis intensa contemplatione provenientē passionem Græci ἔκστασιν dixerunt, quasi quandā ANIMAE absentiam, aut potius extra corpus stationem, si verbum verbo proloquimur. Videtur enim tunc extra corpus stare, cum foris tamē non sit, sed potius intus quiescat in corpore, & tanquam sepeliatur. Quod sanè tempore corpus est, ut SEPULCHRUM INTUS CADAVER NON HABENS: cum vivat ANIMA, quæ inest in eo. Dici verò corpus tunc SEPULCHRUM, cum in eo sic ANIMA requiescit non est certè alienū. Quando Greci σῶμα, quasi τὸ σῆμα, ut ait Plato, vocarint. Et Virgilius, Invadunt urbē (inquit) somno, vinóq; sepultam. Nullo quidem respectu

ANI-

ANIMORUM, ita enim est nefas sepultum quēquā dicere. Quanqā hoc loco fas est ANIMAM vocare, CADAVER, SEPULCHRUM EXTRA NON HABENS. Neq; enim mortis ulla, sed actionū, quas in corpore faceret, consideratione, dicitur CADAVER. A quibus se nunc abstinēs, ut Chrysippus à cibo, cum esset in mensa, tanquam CADAVER posset ipsa judicari; at corpus eam continēs, non ut SEPVLCHRVM. Nam ad huc est vinū, & sanguine calens; non exangue, nec mortuum. Quippe tunc ipsis sepulchrorū saxis esset frigidius. Ex quibus omnibus perspicuum fit, quomodo CADAVER IDEM EST, ET SEPVLCHRVM SIBI, is, qui in Philosophiam nimis intentus est, quæ in contemplatione, & cognitione posita rerum, quia (ut inquit Cicero) Deorum est vitæ simillima, sapiente visa est dignissima. Itaque versus hi tres sic accommodantur in Elogio, ut primus sit CORPORIS, tanquam MATERIÆ: secundus ANIMÆ, veluti FORMÆ: tertius HOMINIS, ut COMPOSITI ex utróq;. Quemadmodum enim ANIMA perfectionem virtutum ac scientiæ per corpus acquirit: sic homo θεωρητικὸς, per diligentem mentis abstractionem, cum in rebus quæ intelliguntur, sapienter, & sedulò occupatur, perfectam in hac vita felicitatem procurat, beatámq; illam visionem Cœlestium spirituum, & sanctarum intelligentiarum, ad quam omnes aspirant, & ire contendunt.

Lib. 5. de finibus.

EPISTO-

EPISTOLA

EXCELLENTIS LEGUM DOCTORIS

IOANN. TVRRII BRVGENSIS,

AD

RICARDVM VITVM:

APPLICANTIS EPITAPHIVM ad Materiam primam.

CVM nuper inter nos DOCTISSIME VITE, orta esset disputatio de quodam Ænigmate, cujus principium est, ÆLIA LAELIA CRISPIS: cognovi te in eo explicando, elapsos hosce Natalitiorum dies, quos plerique omnes execrando aleaiū ludo, & illiberalibus exercitationibus impendêre solent, egregiè consumpsisse. Illud autē, post dictā utriúsque nostrum opinionem, cum velle videreris, ut perlegerem, non invitus me hercule feci, ut tuæ morem gererem voluntati. Cum.n. ex quotidiana consuetudine familiaríque colloquio, te omni virtutum, doctrinarúmque genere ornatissimum comperissem, ita mihi persuaseram, in quo tu industriam studiúmque aliquod posuisses, hoc omnibus numeris absolutissimū fore. In quo sane, non modò opinioni, quam de doctrina tua cō-

cepe-

ceperam, cumulatissimè respondisti, verùmetiàm longo eam intervallo superasti. Cæterùm non nihil utrique injectum scrupuli fuit, dum ego affirmarem me hoc Ænigma, seu mavis Epitaphium, Bononiæ ex ipso archetypo, ut putabam, longè alijs verbis descripsisse. Qua in re post multas tandem controversias, in hanc sententiam discessionẽ fecimus, ut existimaremus Mediolanenses, dum quæ alij diligenti investigatione non sine summis laborib. adinvenerunt, sibi adscribere volunt, Ænigma illud quibusdam in locis non nihil immutasse. Placuit itaque tibi, ut Epitaphium illud, quod hisce oculis lectum, descriptúmque mecum attuleram, fidei faciendæ gratia in calce tui libri (quando perlegissem) adjungerem simulque quid de eo sentirem paucissimis explicarem. Res profectò, quæ & exercitatione non mediocri indiget, & in qua enodanda præstantissima quæque ingenia tanquam in amplissimo quodam campo liberè divagari queant. Sed missis ambagibus & verborum longo circuitu, dabo hoc nostræ hisce diebus constitutæ amicitiæ. Et si non omni ex parte tibi satisfactum fuerit, amabis opinor voluntatem meam: cum præsertim, ut illè inquit, in arduis rebus sit voluisse satis.

BONONIAE portà Mascharella egredientibus primò ad Vrbe lapide offert sese villula Marci Antonij de la volta, Patritij Bononiensis, in qua tuum illud reperitur Epitaphium. Cujus quidem vetustatem, literæ in marmore nonnullæ, diuturnitate temporis, sitúque, & quasi quadam rubigine corrosæ, facillimè per se indicare possunt.

D. M.

D. M.

ÆLIA LÆLIA CRISPIS, NEC VIR, NEC MVLIER, NEC ANDROGYNA, NEC PVELLA, NEC IVVENIS, NEC ANVS, NEC CASTA, NEC MERETRIX, NEC PVDICA,

SED OMNIA,

SVBLATA NEQVE FAME, NEQVE FERRO, NEQVE VENENO,

SED OMNIBVS,

NEC COELO, NEC AQVIS, NEC TERRIS, SED VBIQVE

IACET.

LVCIVS AGATHO PRISCIVS, NEC MARITVS, NEC AMATOR, NEC NECESSARIVS. NEQVE MOERENS, NEQVE GAVDENS, NEQVE FLENS. HANC NEC MOLEM, NEC PYRAMIDEM, NEC SEPVLCHRVM

SED OMNIA,

SCIT ET NESCIT, CVI POSVERIT.

INTER

INTER Philosophos, qui de rebus naturalibus aliquid, literarum monumentis tradiderũt, de rerum principiis maximæ ortæ sunt controversiæ, & disputationes, adeo ut verè dici possit, quot sunt capita, totidem ferè opiniones, & sententias extitisse. Sed omissis aliorum persuasionibus; Peripateticorum Princeps Aristoteles credidit, omnium naturalium rerum tria esse principia; Formam, Materiam primam, & privationem. Ex tribus his videndum diligenter est, si fortasse unum possit, ad prædicti jam Ænigmatis verba accommodari. Et puto sanè Materiæ primæ hæc omnia non malè applicari posse; cum præsertim illa in se hæc duo contineat, ut & nihil sit, & omnia. Quo benè constituto singulas partes, diligenter ponderemus.

ÆLIA, LAELIA, CRISPIS. Aristoteles in Physicis ait, formam habere rationem perfectioris, & maris: materiam verò imperfectioris, & fœminæ. Atque ob id nil mirum, si eam nomine mulieri proprio Ænigmatis author expresserit, vocaveritque ÆLIAM LAELIAM potius quàm alio quovis vulgari; & trito nomine: ut inde major cum difficultas, tum etiam amplior Ænigmati accederet authoritas. Quanquam quid opus erat me in nominis hujus interpretatione occupari; cum ea sit otiosis, & pertinacibus rerum indagatoribus potius relinquenda?

Ælia, Lælia &c.

Glo. ad rubr soluto matrimonio.

CRISPIS. Hoc puto adjectum esse ficti cognominis causa; ut priora duo sint Nominis,

Prænominísque vice, posterius autem istud Cognominis. Vel, fortasse dicitur appellari ÆLIA, LAELIA, quibus? CRISPIS videlicet; qui sint populi ad nominis similitudinem à Poëta ficti, & excogitati. NEC VIR, NEC MULIER &c. Hæc sanè primæ materiæ optimè accommodantur. Ea enim potestate est omnia, actu verò nihil. Et ideo actu non est, IUVENIS, NEC PUELLA, NEC ANUS. Potestate tamen OMNIA. Quia potest esse IUVENIS, PUELLA, ET ANUS.

Nec Vir, nec Mulier, &c.

SUBLATA NEQUE &c. Dicitur prima materia NEC tolli FERRO, NEC FAME, NEC VENENO. Nimirum quia actu nihil est, qui certè actus ad cujusque rei interitum necessariò debet accedere. Interit tamen OMNIBUS, cum omnia quæ sunt, ab ipsa tanquam principio primo suum esse quod dicitur, habeāt, & illa nos singula videmus FERRO, FAME, ET VENENO perire:

Nec Cœlo, &c.

NEC COELO, NEC AQUIS &c. Prima materia cum nihil sit, sed imaginatione sola comprehendatur, nullo istorum locorum contineri potest. Dicitur nihilominus UBIQUE ESSE; quia omnia quæ sunt, quæque ex ea tanquam principio constant, aliquo horum locorum in necessariam consequentiam continentur. LUCIUS AGATHO PRISCIUS. Observavit hic Ænigmatis inventor; ut usitatum illum in Epitaphijs morē ad unguē retineret, & idcirco ut nominibus nomina responderent, tria vicissim hic in familiari consuetudine minus recepta excogitavit. SED OMNIA, hic diligenter advertendum est, nequis hæc duo verba prædictis omnibus, quæ de LUCIO dicuntur, applicanda putet. Tantum enim referri debent ad hæc. NEC MOLEM, NEC PYRAMIDEM,

Lucius &c.

DEM, NEC SEPULCHRUM, SED OMNIA. Ita enim marmor illud cum inſcriptione erectum eſt, ut cũ revera, NEC PYRAMIS, NEC SEPULCHRUM, NEC MOLES ſit, eorum tamen omnium inſtar, & loco eſſe poſſit. Quod autem ad ſuperiora hæ duæ voces referri non poſſint, perſpicuum ex eo fit: quòd cum illa nomina ſint ficta, rebus non exiſtentibus hæc accidentia perabſurdè tribuerentur; cum omnino accidens ſine ſubſtantia eſſe nequeat, & nòn entis ſecundum Iuriſconſultos nullæ ſint qualitates. SCIT, NESCIT. SCIT quidem ſe poſuiſſe MATERIAE primæ. Verùm cum ea ſub ſenſum non cadat, ſed ſolo intellectu concipiatur, NESCIT, qua ſit illa materia.

l. ſi ſervum §. ult. ff. de actio. emp.

NEC mihi quis objiciat hoc loco, ea quæ pugnant ex diametro, ſimul in una veritate conſentire non poſſe. Etenim dico non eſſe abſurdum, ut diverſis reſpectibus quis idẽ SCIAT, ET NESCIAT. SCIAT quidem cognitione, quæ intellectu conſtat: ea verò, quæ ſub ſenſum cadit, planè ignoret. Et hæc ſint, quæ curſim, atque obiter ad propoſitam dubitationem diſolvendam, in medium proferre volui. Vale, & æqui boníque conſule. Idibus Ianuar.

M. D. LXVII.

RESPONSIO RICARDI VITI AD TVRRIVM,

EXPLICANTIS EPITAPHIVM DE IDEA.

TVAM Epiſtolam AMICISSIME TVRRI, libenter perlegi; inq; ea diſcriptum Epitaphij exemplar cupidè vidi; nec opinionem tuam, quam & communem eſſe omniū ferè Bononienſium, mihi præſens dixiſti, ulla ex parte reprehendo. Quid enim poteſt à me eſſe alienius, qui ſuā cuiq; liberā conjecturā relinquo, ut meam certè mutare, ipſe non poſſum? Nam ſi me interroges, ut Socrates Alcibiadem, duos nè, an tres oculos habeam, manúſve duas, an verò quatuor, vel quippiam ſimile; tibi ſum idem ſemper reſponſurus. Quia quod me rogas, certū cognoſco. Quod non eò dico, quò quis me, rem hoc Epitaphio notatam putet, tam certò, quàm manum, qua ſcribo cognoſcere: nam id in conjecturis affirmare, non arrogantis ego, ſed planè impudentis eſſe judico. Quid ergo inquis eſt? cum verba ferè ſingula, ad Hominem referri debent, de Materia, quæ prima dicitur, quaque homine

mine quovis antiquior est, non credidi potuisse optimè intelligi. Hoc cum tibi præsens obijcerem, respondebas; id, de quo agimus esse Epitaphiũ, neque solere Epitaphia nisi hominibus inscribi. Ob eámque causam verbis humano generi proprijs utendum fuisse necessario.

Quod cum ais hominibus solis Elogia scribi, ut omittam nunc alia, quæ sunt infinita: mihi videris planè esse immemor Psittaci illius Indi, cujus mortem Ovidius, ita flevit, ut & sepulchrum quale esset, atque ipsum ejus Epitaphium dixerit:

Ossa tegit tumulus, tumulus pro corpore magnus. Lib. 2. Eleg 6.
Quo lapis exiguus par sibi carmen habet:
Colligor ex ipso Dominæ placuisse sepulchro:
Ora fuere mihi plus ave docta loqui.

Ego verò Turri quanquam Psittacus ille, loquax humanæ vocis imago fuerit, ut dicit Ovidius, & propterea justius posset hominum vocabulis ornari, tamen nihil ibi Diis Manibus inscriptum puto, cum duo illi characteres D. M. nec in sepulchris animalium, quæ bruta dicimus, nec earum rerum, quæ carent anima, D. M. qualis est Materia prima, notari soleant. Quando igitur Manes sunt, (ut Apulejus inquit de Dæmonio Socratis) Animæ majoris meriti: quæ in corpore nostro Genij, corpori autem renunciantes, Lemures dicuntur: & tunc à corporibus separatæ, si domos nostras incursionibus infestãt, Larvæ, si verò bonæ fuerint, Lares familiares appellantur: cumquè Homo sit is, qui talem animam habeat solus: quíque cognatione quadam conjunctus cum Deo, ad ipsius similitudinẽ formetur; suspicari mehercule aliter non potui,

quàm ut ea, quæ ſequuntur hanc ἐπιγραφὴν, vel ad ipſos Deos, vel ad Dijs genitos, cognatóſve referrentur. Impium verò Dijs immortalibus ſepulchra mortuorum inſcribere. Néque id fas eſt judicatum in Dijs genitos facere. Sed Hominibus, qui certa Deorum cognatione colligantur, non modo fas eſt, verùmetiam pium; monimenta erigere, & noſtrarum de ijs mortuis cogitationum teſtimonia in Epitaphijs proponere. Itaque hæc ad Homines univerſa converto. Nec tam ad multos, quàm ad unum eundémq;, & quem IPSUM hominem voco. Longè aliter, quàm in Ænigmate Mediolanenſium fecerim: ſed non contrario tamen, aut prorſus alieno modo.

SICUT enim, cum aliquid addimus, vel detrahimus juri communi jus proprium efficimus, ut commune tamen non auferatur: ſic cum huic Epitaphio Mediolanenſes nonnulla detraxiſſent, mutaſſent quædam, & Epigramma Agathij affixiſſent, fecerunt Ænigma, & quidem propriũ. Sed hujus tamen Epitaphij veritatem non abſtulerũt. Vt ergo, in Ænigmate quæcumque notavi, de ijs nihil nunc revoco; ſic eis contrarium; nihil hoc tempore reſpondeo. Sed quemadmodum de Aqua pluvia arcenda, contra Marium egi; ita contra te, Ne confuſo Materiæ Chao luminibus intellectus officias, ſervitutem præſcribam. Speróque fore, ut apud aquum judicem, tota negotij veritas facilè audiatur.

IGITUR Plato, in dialogo de Natura hominis, qui eſt inſcriptus Alcibiades, Socratem facit diſputare, Quid ſit homo. Res quidem populo, qui ſenſu rapitur, facilis & nota: eruditis autem, & ijs, qui conceptas intelligunt rerum formas,

quas

ϑείας ἰδέας Græci vocant, ardua, & difficilis. Nam cùm res veræ ſint eæ, quæ naturalium rerum ideæ ſunt; reſq; ipſæ naturales, formæ ſolùmmodo harum, & imagines idearum exiſtant; fit, ut populus in iſtas naturales tantùm intuens, ijs tanquam rerum verarum imagine fallatur, putétque ſe ſcire, quod neſciat, & in judicando facilè decipiatur. Quod contra facit Vir Sapiens, Qui (ut inquit Accurſius) fallere non vult: falli autem non poteſt. NON VULT quidem, juſtitiæ quodam, & VIRTUTIS amore: NON POTEST autem, propter SAPIENTIAM. Quarum rerum duarum cum in Criſpi aliqua documenta Ænigmaticè contineantur, ut partim hactenus ſignificavi; conemur eruere, & efficere nos, id quod dixit Poëta, ut commiſceatur utile dulci, & hæ nugæ ſecum aliqua ſeria ducant. Diſputat ergo Socrates: Hominem non eſſe, qui putetur à vulgo, qui currit, qui ambulat, qui loquitur. Nec Hominem eſſe, qui corpore ſimul, atque anima conſtet. Cum enim corpus, quæ una pars ejus eſt, parêre ſemper debet, quomodo hominis officium, quod eſt imperare, rectè unquam faciet? Atqui ſi nec corpus, nec utrunque, id eſt, corpus & anima ſimul, Homo ſit; reſtat uti arbitror, inquit Socrates, ut aut nihil omnino ſit Homo; aut ſi quid eſt, ipſum oportet nihil aliud, quàm Animã eſſe. Quo in dialogo Ficinus duas, quas vocat Theologicas, dictiones notavit. IPSUM IDEM & IPSUM QUICQUE quod αὐτοέκαστον Græcè dicitur. Circa hominem (inquit) illa dictio ſignificat ANIMAM UT IDEAM, hæc ANIMAM IN CORPORE. Ego verò ad propoſitũ.

Gl. ſcientia. l. juſtitia. ff. de juſt. & jure.

Cum Ænigma poëticè declaro, in Niobe hominem, uti populus solet considero, secundum corpus, eáque quę corporibus accidunt. Cum anagogicè interpretor contra Marium, Animam in corpore contemplor. Tibi nunc quod respondeã, quid nisi tertium reliquum est TURRI? Dico igitur αὐτό αυτον, Animámque ut ideam hoc Epitaphio notari. Quæ si tibi placuerit & de sua celsitate descendere possit, Materiæ tuæ uti forma conjungetur, ipsámque faciet nobis parere Crispim hanc, non ita post hac intellectu difficilem, & obscuram; sed nova specie pulchram, & jucundam moribus, nostrísque affabilem mentibus, atque ipsis oculis quodammodo aspectabilem. Sed vereor, ut possit descendere. Quin etiã nec pro ejus dignitate esse ut descendat existimo, Proinde ad ipsam nos ascendemus; sed non præruptè tamen, ne recidamus; at constitutis quibusdam gradibus.

PRIMUM igitur ab infima humo, à qua Homo nominatur, incipiamus. Hominẽ enim Prometheus, ex luto, ut dixi, finxit. Deinde paulò altius, eundem hominem ex Cicerone definiamus, Animal providum, sagax, multiplex, acutum, memor, plenum rationis, & consilij, præclara quadam conditione generatum à supremo Deo. Solum est enim ex tot animantium generibus, atq; naturis particeps rationis & cogitationis, cum cætera sint omnia expertia. Quid est autem, non dicam in homine, sed in omni Cœlo atque Terra, ratione Divinius? cujus quidem vim, omnémque potestatem ita demum sensu percipiemus, si ex ijs rebus, quæ perfectæ hominis naturę accidunt, simulachrum aliquod fecerimus. Nam cum sta-

tuæ

tuæ & imagines non animorum ſimulachra ſunt, ſed corporum : certè illa corporum deſcriptio, quoddam animorum ſimulachrum intelligi facilè poteſt. Quamobrem perpulchra ſunt ea, quæ apud Ciceronem in primo libro de Legibus ſequuntur:

IPSUM hominem eadem natura non ſolum celeritate mentis ornavit, ſed etiam ſenſus tanquam ſatellites attribuit ac nuncios. Figurámque corporis habilem, & aptam ingenio humano dedit. Nam cum cæteras animantes abjeciſſet ad paſtum, ſolùm hominem erexit, ad Cœliq; quaſi cognationis domiciliíque priſtini conſpectum excitavit. Tum ſpeciem ita formavit oris, ut in ea penitus reconditos mores effingeret. Nam & oculi nimis arguti, quemadmodum animo affecti ſimus, loquuntur: & is, qui, appellatur vultus, qui nullo in animante eſſe præter hominem poteſt, indicat mores. Quia ſexus ipſe quoque (libenter enim ad iſta venio) tametſi nobis cum cæteris animantibus communis eſt, tamen quemadmodum naturà aliter afficimur, oſtendit. Homo enim, qui mas dicitur, fortis, conſtans, magni, & excelſi animi; quæ autem fœmina, abjecta, levis, nulliúsque opis, & conſilij eſſe creditur. De quibus ſingulis, ut etiam de hominis ætate, de virtutibus, & vitijs ſatis, ut mihi videtur, in Interpretatione expreſſi. Nunc quod huc pertinet, ex omnibus his, quæ dicta ſunt hactenus, ſimul conflatam in intellectu ſcientiam, impreſſámque in mentibus, & quaſi innatam, notionem hominis, formulámque (niſi fallor) habemus.

QUA rectè unũ quenq; cognoſcimus. Veruntamen hic conſiſtere non oportet. Vlterius eſt pro- Nec Vir, &c.

D 3 gre-

gredicndũ, ad ipſam ſanè Ideam. Cujus tanta eſt potētia, ut formas ipſas, reſq; procreet, & tantā amplitudo, ut quod in humano genere perfectā eſſe, quodque ingenio excogitari abſolutem, & arte doceri poteſt, id univerſum comprehendat. Neque habet in ſe hujus, vel illius hominis; ſed totius Humanitatis quaſi dicerē αὐτότητα, propriáſque & naturales conditiones. NEC VIR, NEC MULIER, NEC ANDROGYNA tantum, NEC PUELLA, NEC IUVENIS, NEC ANUS ſolum, NEC CASTA, NEC MERETRIX, NEC PUDICA per ſe duntaxat, & ſcorſum ab alijs, SED OMNIA ſimul eſt. Cum enim perfectiſſima ſit, partes aliquas complecti, & non ex omnibus totis, atque perfectis abſolvi, nullo modo poteſt. Quas quidem partes illa, hominis notio atque forma comprehendit, quæ intellectu percipitur, quæq; hujus Ideæ quædam imago eſt. IPSUM QUICQUE ſuprà nominavi, quod ad ſingulos quoſque homines animam deducat.

Sublata, &c. Nec Cœlo, &c.

QUOD cum ſit eo ſanè tempore, tam FAME, quàm FERRO, ET VENENO, ut homo in quo ineſt, anima pòſt auſertur. Sed quà tamen in ſe ipſa eſt, abſtracta prorſus à corpore, NULLO MODO perimitur. NEC COELO, NEC AQUIS, NEC TERRIS, quæ ſunt corporis loca, SED UBIQUE IACET. Cum ſpacio certo nullo deſcribatur, nec ulla mundi regione terminetur. Accedit eodem quòd eſſe hìc aut ibi, Ideæ non conveniat; UBIQUE ergo eſſe convenit. Sed quaſi eſſet nuſquam, ſic ei monumentum poſuit LUCIUS AGATHO PRISCIUS. Vel ut vero ſimilius dicam, non nemo Peripateticæ familiæ homo lepidus, & acutus, Qui inductas à Platone Ideas ſepultas

omnes

omnes cuperet, ut de his nulla extaret memoria, nec unquam nova surgeret disputatio. Cui ego homini Marsilium Ficinum libenter opposuero. Is ad Dialogum sextum de Republica Platonis adnotans: Vt animadvertas (inquit) Aristotelem in Ethicis, circa Ideam boni adversus Platonem ludere; lege Platonis verba diligentissimè, ac planè perspicies Ideam boni non esse speciem hanc, aut illam; hìc aut ibi: sed ipsam eminentissimæ Divinitatis fæcunditatem, per omnia sese potenter, suaviter, & salubriter propagantē. Cætera quæ sequuntur, quia non sunt hujus disputationis ac temporis, non commemorabo, mihi quidem magis esse Christiana videntur; quàm Platonica.

SED ut revertar ad propositum TURRI, cum multum intersit inter Ænigma populare, quod risum movet, cum solvitur; & eruditum, quod docet SAPIENTIAM: cúmq; de IPSO homine hactenus, & de Idea ipsius exposuerim ea, quæ ferè tractantur ab Academicis: nunc de homine qui communis appellatur, hæc quæ sequuntur interpretabor: quòd HOMO is, qui cum in communi vita vivimus, mihi videatur, quoties in Ideam aspicio, NEC MARITUS ejus, cujus esse caput, & Dominus, ut Vir uxoris est, nunquam potuit. NEC AMATOR hujus, quæ tanquam homines perosa esset, ita fugit ab aspectu, ut vix revocata dignetur animis nostris cogitationibúsque illabi. NEC NECESSARIUS, ullo sanguinis, aut benevolentiæ jure. Nam pluribus in rebus posita non est necessitudo. Non sanguine quidem conjunctus ei, quæ videtur nihil revera esse, sed conficta quædam ab

Acade-

Academicis intelligentia. Nec etiam benevolentia, cum se IPSUM hominem appellet. Perinde quasi præ se omnes contemneret, neqùe ullos, esse homines judicaret. NEQÙE MOERENS, ut in uxoris funere MARITUS solet. NEQÙE GAUDENS ut AMATOR, qui ab amata nullā repulsam tulerit. Indignatur enim potius tunc animus, cum reijcitur, quàm ullis gaudijs perfunditur. NEQÙE FLENS, ut necessarij & affines solent. Cum ipse sit Ideæ nec necessarius, nec affinis. Sed monumentum illi statuens, SCIT ET NESCIT CUI POSUERIT. Cum & in IPSUM HOMINEM & in HOMINEM una quadret, eadémque (ut ait Aristoteles) hominis definitio. Nam quà homo sit IPSO HOMO, nihil differūt, & hactenus SCIT. Quà vero quid est ab alijs sejunctum. Et IPSE per se in Idea sua, profecto NESCIT, CUI POSUERIT. Nimis oblectatur enim homo qui communis dicitur, rebus jucundis, & utilibus ad vitam benè suavitérque transigendam, quarum rerum abundantia, facile parit ignorationem. Proinde Socrates (ut ad prima redeam) volens explicare Alcibiadi præceptum Apollinis: quo quemque jubet, Nosse ipsum se, Quemadmodum (inquit) oculus ita demum seipsum cernit, cum in oculum ex adverso intuentis aspicit; inqùe eam oculi summam, quam pupillam vocamus intuetur, ubi videndi vis est: sic si seipsam volet anima cognoscere, in animam debet intueri, inqùe eum præcipuè locum, in quo inest VIRTUS ANIMAE, SAPIENTIA. Prius autem diximus, nihil aliud esse hominem, quàm animam ipsius. Ergo cum Apollo Nosce te dicit, hoc dicit, nosce ani-

Ethi. 1.

animum tuum. Ab animo tuo quicquid agitur, id agitur à te. Hæc Socrates. Ille Vir, qui alio ejuſdem Apollinis oraculo Sapientiſſimus eſt appellatus. Qui Philoſophiam primus devocavit è Cœlo, & in urbibus collocavit, & de vita & moribus coëgit quærere. Quam veram eſſe Philoſophiam, ejus auditor Plato, in Epiſtola ad Ariſtodorum exiſtimavit. Ad alias verò, & ad alia declinantes ſcientias & facultates, ſi quis (inquit) ornamenta dixerit, rectè, ut arbitror, appellabit. Cui planè conſentit noſter Vlpianus, qui veram nos ait Philoſophiam, non ſimulatam profiteri. Quod cum ita eſt TURRI, videamus an quicquam in tota Criſpi ſit, quod ad Ethicos referatur. Ac ne longius à principijs abeam, quid aliud quæſo nobis Poëtæ, qui veri ſunt, niſi mores laudant bonos, & vituperant contrarios? Cúmque virtutis laus omnis in actione conſiſtit: Romani, inquit Scipio ille Africanus, apud Livium, ex ijs, quæ in Deûm immortalium poteſtate erant, ea habemus, quæ Dij dederunt: animos qui noſtræ mentis ſunt, eoſdem in omni fortuna geſſimus, gerimúsque; neque eos ſecundæ res extulerunt, nec adverſæ minuerunt. Hoc ſi Niobe feciſſe potuerit, ut nec ſecundis rebus efferretur, neque deprimeretur adverſis; nunquam in ea fata incidiſſet, quæ nunc de ſe Νιόβης πάθη, tritum ſermone proverbium fecerunt, uſurpatum à Græcis in eos, qui malorum omnium maxima, atque extrema patiuntur. Lib. 47.

QUANTO igitur præclarius M. ille Regulus, quem Cicero, nec ærumnoſum, nec infelicē, nec miſerum unquam putavit? Non enim (inquit) magnitudo animi ejus cruciabatur à Pœnis, non gra- In paradox.

gravitas, non fides, non constantia, non ulla virtus, non denique ANIMUS IPSE, qui tot virtutum præsidio munitus, tantóq; comitatu virtutis septus, cum corpus ejus caperetur, capi certè ipse non potuit. Sed est ne hic aliquid quod ad Physicos etiam pertinet? ut prætercam, quæ tu eleganter, & paucis de principijs rerũ scripsisti, illud est meũ DE ANIMA UT IN CORPORE, quod organicum vocant. Quam rem sic tracto tamen, ut animæ vires, ac potentias pro sexus, ætatisq; ratione varias esse monstrem. Sed eo concludo modo, quo in libro primo de divinatione, jacere corpus dormientis, ut mortui, Cicero dixit, vigere autem & vivere animum. Vel ut melius paulo post, Rarum esse quoddam genus affirmaverit eorum, qui se à corpore avocent, & ad Divinarum rerum cognitiones cura omni, studióq; rapiãtur. Quo in numero ponimus nos Apostolũ Paulum, qui raptus in tertium Cœlum, cernénsque beatam illam visionem, ἔτε ἐνσώματι (inquit) ἔτε ἐκτὸς τῦ σώματ☉, ὐκ οἶδα. Qui sensus Ænigmatis anagogicus à me fit. Nam iste alter ad Epitaphium tuum, Metaphysicus est DE ANIMA, non jam in corpore, ut prius exposui, sed sine corpore, per seipsam existente IN SUA IDEA; quæ sublimis, & alta est, supráque naturam constituta disquisitio. Quam dum orno, mihi videor transilvisse metas Epistolæ. Sed ut à sermone tui præsentis difficultur abstractus sũ TURRI, sic cum ad absentem nunc scribo, non facile me abstineo. Totam causam, quæ sit, vides, quoque modo ego à Mario, téq; ipso amico meo dissentiam, ea solum ratione, quòd me ad NATURAM HOMINIS interpretandam verba ipsa addu-

adducerent. Cumquè omnis conjectura, in qua nititur Ænigma, ingenijs hominum in multas ac diversas, aut etiam contrarias partes sæpe deducitur: quis tam iniquus erit judex, ut si mihi ipse constans, consentiénsque sum, à cæteris dissentire non ferat? quis si mei similis, non huc, nec illuc opinionib⁹ abducor, sed ex ipsa re, & verborum vi (quod in difficilibus facere necesse est) quo me tuear, invenio, pertinacem propterea rerum indagatorem vocabit? Quod non eò dico, quò mihi tua fides in dubium veniat, aut benevolentia TURRI; sed cum RICARDO SHELLEIO contubernali meo, adolescenti nobili, atq; docto tuas literas legissem, venissémque ad eum locũ, in quo nominis interpretationẽ dicis hominibus otiosis, & pertinacibus esse relinquendam, Iocòne (inquit ille) an ita sentiens scripsit? Tum ego subridens, Quoniam hactenus de singulis utrũque respondi, & joco inquam, scripsit, ne videretur novam amicitiam lædere, & ita sentiens tamen, quòd multos id sentire velle judicaret.

QUIBUS omnibus mea causa, idquè extra jocum TURRI, oppones ea, quæ Philosophorum non Princeps, sed ipse Deus Plato (ut Cicero appellat) in suo Cratylo copiosè disputavit. Si contra urgebunt Aristotelicum illud, Esse quidem nomina ex libero hominum arbitrio rebus imposita. Quanquam par auctoritas doctoris, atque auditoris esse non debet: quia tamen nostrum non erit hoc, sed aliorum judicium, eleganter tu, ut F. Robortellus vir ingenio excellens, & cum primis doctus nuper in scholis, summos Philosophos reconciliabis, καὶ φύσει μὲν dices hactenus

ctenus esse nomina, quatenus aliquid naturæ ipsius rei proprium exprimunt : Θέσει δὲ, & arbitratu libero, quatenus sic, aut aliter expressa, ac prolata sunt.

Ælia, Lælia &c. Lucius, Agatho, &c.

SED de hominum, inquis nunc tu, non de rerum nominibus nos loquimur. Ego vero utrunque TURRI facio, cum te ad Cratylum Platonis allego. Vbi ille, λη̃τω à mansuetudine (inquit) dicitur, quia sit ἐθελήμων, quod est; prompta, exposita, & lubens ad id, quod quisque petit, exhibendũ. Si ergo nulla ex re alia didicissemus, quantùm esset intolerabilis, atq; execranda Niobes superbia, tamen id intelligere potuimus ex eo, quòd tam benignam, & mitem Deam, adversariam sibi constituisset. Veruntamen tu quidem, urges adhuc, Nomina ficta hic esse, rebúsque quę nullæ sunt accommodata, ipsorum lubito qui hęc scripserunt : idq; fortè temerè, casu; cum nihil tale, ne somniaverint quidem. Primum, qui hoc scis? deinde, sit te scire concessero, quod nunquam faciam. Attamen ut de ostentis Cicero dixit, cum facta sunt, tum ad conjecturam aliqua interpretatione revocari. Nec tam mirabilia esse, quàm conjecta bellè, quæ fortuitò accidere potuerunt : sic nostram hanc, quam defendimus ANIMAE IDEAM, potero dicere illustratam esse nomine clarissimorum hominum, virorúmq; Romæ fortissimorum. ÆLIAM enim vocari, a cujus luce, ac splendore, qui eam sepelit, LUCIUS dicitur, estq; homo in oculis civium, Réque publica conversans. Vt AGATHO idem nominatur à LAELIA. Singula nempe singulis respondere, tu ipse dicis. Cum igitur Lælium in libro de ami-

Lib. 2. de divinat.

de amicitia ità Cicero laudavit, ut perfectũ amicum jam Lælium existimemus esse nominandũ; prætérquam quod nobiscum ANIMA inviolabilĩ lege amicitiæ conjuncta sit, LAELIA nunc dicitur, quod amici nobis (inquit Aristoteles) sint ij, qui Ideas introduxerunt, quas hoc colore rejecit: Quia pium (inquit) est amicis antiquiorem habere veritatem. Quam pietatem Aristotelis, bonitatémq; AGATHO, in Ideæ sepultura imitatus est, ut ex eo nomen AGATHONIS, & viri BONI consecutus esse videatur. Vt PRISCII, A CRISPI. Quasi quis apud veteres Crispis, & Crispus, ut Hilaris, & Hilarus diceretur. Id quod videtur Marius significare, cum nihil dubitans Læliam CRISPIM, Pluviam VIBRANTEM interpretatur, sed hoc totum judicet Priscianus. Mihi satis hoc loco sit asserere, ut si fortè temerè, casu, nomen aliquod impositum est, quod ex postfacto, ut nos loquimur, re aliquid notabili, ratum habitum sit; non id propterea, quòd casu datum initiò fuit, ex illa re post eveniente commodiorem, atque ampliorem vocis interpretationem accipere non debeat. Etenim Accursium legimus jam ætate provectum ad juris studia se applicuisse, ac fuit credo, dictus Accursius tum, cum esset puer, cumq; adolescens; attamen se dicit ipse Accursiũ idcirco vocari, quod cõtra juris civilis tenebras accurreret. Restat ut quia ficta sunt, non debeant esse interpretata. Quin ego totum contrarium sentio; in his quæ finguntur ingenio atq; arte, nihil nisi ex intelligentia nominum sciri posse. Tu mihi Metamorphosis Ovidij, illámq; fabularũ ἐνέργειαν, quasíque quandam rerum colligationem, & hominum cognationem, sine Græcarum literarum,

Glo. conditio l. facta. § si dandæ ff. ad sen. Treb.

ſcientia rectè unquam explicabis ? Quarum certè adjumento Budæus, acri vir ingenio, & ſumma doctrina, Th. Mori noſtri Vtopiam, excogitatam illam quidem tam ingenioſè, atque acutè Rempublica ut fallacia Novi Orbis hiſtoriæ prudentiſſimos, vel ut de ipſa cogitando errarent, vel ut minus rectè ſentirent effecerat, tā penitus introſpexit, ut ex vi nominum, & interpretatione, quaſi in ipſius auctoris mentē indutus, inſulam eſt auſus, non ut Morus Vtopiam, ſed mutato ſine ſcelere nomine Eutopiam appellare. Quod tu illum credis nulla re permotum facere voluiſſe ? ſunt mehercule in nominibus ſecreta quædā, quæ in vulgus efferri, homines docti prophanum judicant. Epitaphium Criſpim vocat ÆLIAM LAELIAM. Ænigma HAELIAM LAELIAM. Nam ſic aſperè legendum putat Marius num exiſtimas ſine cauſa Mediolanenſes diphtongū rejeciſſe ? ſi non putas; oſtende cauſam. Eſt inquis, pro ratione voluntas.

NON mihi ſatisfacis TVRRI: tametſi enim fingentes, quæ volumus, & quæ libet, facimus, non tamen abſq; aliqua nos movente cauſa, & ratione quicquam facimus, ut hoc, quàm illud potius faciendo, quaſi unum è multis eligere videamur. P. Hædus Anterotica ſcripſit eleganter; in ijs Æmylianum inducit amantē Hæliam: quæ cum inter cæteras videri non poterat, An non eam cernis inquit, quæ lauro nunc adhæret ? ſcitè quidem operis auctor oſtendit, quare fœminam ab Æmyliano amatam vocaverit Hæliam. Nempe quòd lauro adhæreret, quæ eſt arbor dicata Apollini, Poëtarum fautori & parenti. In quibus numerabatur Quintius hic Æmylianus: Habes igitur

tur rationem a me TVRRI si non certam, aut veram, quæ tamen auctori si viveret, displicere ipsi nunquã potuit. Sicut ergo in Academicis Cicero, cum Zenone Arcesilam sibi omne certamen instituisse scribit, non pertinacia, aut studio vincendi, sed ipsarum rerũ obscuritate: sic adversarijs meis, si qui erunt TVRRI, dices tu quidem me, pertinacem hoc modo esse; non aliquo studio te, vel Bononienses; neque Marium, aut Patavinos vincendi; sed ipsius Ænigmatis obscuritate adductũ, verba tenuisse mordicus. Quæ nec ipse curassem, si res aliter intelligi potuisset, ne in linguas inciderem malevolorum, & in glossas nostras; quæ pertinacem vocant eum, qui re semel intellecta, de verbis disputat cõtentiosè. Nam otiosum fuisse me cum hæc facerem, vidisti præsens, quin etiã hęc otiosus nunc rescribo, quæ tu cum a Iuris studio vacabis, & erit otium, legere potes. Sed non otiosè leges tamen, quia nisi diligenter singula perpendans, quod ego sentio, vix assequeris. Vale Patavij XIII. Cal. Feb. 1567.

Lib. 14

Gl. vocabula l. si. C. de const. pecu.

AB OTIO TRAC-TVS AD NEGOTIVM

hoc cæteris relinquens.

T. D.

Viator auſculta. Tullia Alterocha, (ta a ſe
Nec a Deo creata, nec genita a Natura, nec or-
Initium nuptijs inter duas Sorores faciundis fuit.
Quarum junior, Vir formoſus pòſt apparuit.
Tunc omnes præ gaudio tripudiare.
Ducénsque uxorum domum Vir
In convivio quærit Alterocham.
Hæc nuſquam viſa, Ego Caßius, Panos amicus,
Et aulœdus huc protinus exilui.
In trivio dubitans, qua nam fuerit via,
Te Viator ore, ſi videris, redire jube;
Nec ad me, nec ad convivatorem, nec ad te, ſi ſapis.
Niſi meliorem fortunam attulerit.
Semper enim aliquid affert novi:
Gaudens ruinis, mutánsq; nomina rerum: (abſens.
Ab eis & antequam inceptæ, & cum perfecta ſunt,
Idcirco multi illam eſſe, plures non eſſe dicunt:
Nonnulli nihil, aliqui aliquid videri,
Quòd quæ non ſunt, eſſe: quæ ſunt, non eſſe faciat.
Eam cum nemo deſideret, omnes tamen ſequitur.
Tu, qua opus non habes, ſcire ne labora,
De ipſa, ſi occurrit, quid ſentias expecto
Interim in hanc ſylvam, dum redis, me abde.
Viator. Hoc acroama tecum preßè cogita.
Sit tibi faveat Apollo. Mercurius ducat.

FINIS.

RICARDO VITO.

NICOLAVS STOPIVS.

SI scripta in Nioben, trutina pensabimus æqua,
Quæ tu VITE refers, optima semper erunt:
Et meritò à cunctis laudaberis, omne per ævum,
Clara, quòd hæc per te sint modò, Sole magis:
Vnum (pace tua) tamen, haud puto prætereundum,
Ne careant fructu, Verba decora, suo:
Libera, & hic decet, ut sit divinatio cuique,
Rebus in obscuris, lumina multa, juvant:
Sæpe aliud, quàm Verba sonant, sub cortice celant,
Dicta & facta Patrum, quæ enucleanda manent:
Sint licet obscura, & dubio Velamine tecta,
Nos tamen ut doceant, sic voluere Pij:
Nam nihili fiunt, quæ hic absq; labore parantur,
Quæ sudore carent, sunt quoque chara minus:
Felsina at hæc tenet, ut doceat, præclara: Docendi
Vrbs, claro ante alias, quæ hoc micat Elogio:
Et quisquis Nioben finxit, finxitve sepulchrum,
Ingenio hunc summo, nec caruisse, docet:
Nos monet hoc Bustum tacitè, fore ut abstineamus
Se quale ostendit, scripta quoque esse notant: (thor,
Et quia, in omne hominũ genus hoc cadit, ergo ait au-
Omnia huic Busto, nil quoq; inesse, simul:
Quisquis enim talis, est, ac si haud esset, habendus,
Telluris pondus, nam neque inutilius:
Sunt, numerus tantum, fruges consumere nati,
Ah sibi qui malus est, cui bonus esse potest?
Quid Natura parens, lolium, steriles quid avenas,
Misces, tam paucis, pessima multa, bonis?
Sunt (Vtinã haud essent) sine, multa cadavera, in orbe,
Busto, & quæ nullum, Busta, cadaver habent:

 Ac

At sibi sunt (indigna loquor) Bustúmque Cadaverq;
(Immundus fœdum nil mage mundus habet)
An nè putas homines Bustum sibi & esse Cadaver,
Præstare ignotum, mutuo & officium?
Heu tale est Bustum miserabile, tale Cadaver,
Omnis homo vivus, qui ratione caret.

NICOLAO STOPIO,
RICARDUS VITUS.

Quæ fuit in Siphilo Niobes statua, illa propinquis
Saxum, longinquis Flentis imago fuit.
Magnus erat Fictor, sed major Scriptor hic illo est,
Plurima qui potuit fallere sensa, Stopi.

FINIS.

NICOLAI

NICOLAI BARNAVDI,

A CRISTA ARNAUDI DELPHINATIS,
PHILOSOPHI, ET MEDICI,

Commentariolum

IN

AENIGMATICVM QVODDAM EPITAPHIVM BONONIÆ STVDIORVM,

Ante multa ſecula Marmoreo lapidi inſculptum.

PSAL. CXXVII.

Fruſtra ad labores ante lucem ſurgitis,
Fruſtra laboratis diem
Totum, labores niſi Deus veſtros ſuo
Fortunet ipſe numine.

ILLVSTRISSIMO, ET INVICTISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, Dn.

MAVRITIO,

PRINCIPI AVRAICO,

COMITI NASSOVIO &c. MARchioni Veræ, & Flissingæ, Gubernatori Gelriæ, Hollādiæ, Zelandiæ, Westfrisiæ, ditionis Vltrajectinæ & Trans Isulanæ, Dn. Clementissimo.

COGITANTI mihi, ILLUSTRISS. PRINCEPS, cui potissimùm heroüm nostri temporis dicare possem lucubratiunculas aliquot meas haud contemnendas, in Ampliss. Heroïnæ laudem, & decus à me conscriptas, venit multoties in mētem SERENISSIMA ILLA PRINCEPS, ANNA, Suecorum, Gottorum, & Vandalorum Infans, Magni Ducatus Finlandiæ hæres nata, nunquam satis laudata Virgo, quæ cùm superiore anno, Gedano, ubi medicinam per quadriennium feceram, in Aulam suam splendidissimam, & castissimam, Stegberg Suecorum sedentem, binis suis ad me missis litteris, me vocasset, honorarióque largissimo me donasset, videbatur quicquid è penu meo Philosophico prodiret, expetere. Interea dum cōmodū sese obtulit CELS. TVÆ Prudentiss. quæ Ovans, Triumphans, è bello redux, hostibus fugatis, Frisiáque & vicinis regionibus ab infestis incursib' liberata, sua immortali fama me adegit,

ut hæc paucula rerum initia, Commentariolum nempe hoc meum, paucissimis diebus elaboratũ, CELS. TVÆ consecrarẽ, interea dum reliqua mea operula, gratiora, aptioráq;, forsã, futura. SERENISS. PRINCIPI ANNÆ dicanda, parare pergo. Accipe igitur, INVICTISS. PRINCEPS, hoc qualecunq; munusculum, animi mei pignus devotũ, quod C. T. qua par est observantiâ offerre haud dubito. Cùm sciam te, non solùm Marte natum, sed & Minerva progenitum, utrúmq; tempus & bellorũ, & pacis regere apprimè scium, Musarúmq; omnium patronum, non passurum arcana hæc sacratissima à Zoilis lacerari, aut à Sophistis prophanari: cùm maximè noris ea apud Sophos, & priscos Reges, ut cæteros taceam, summo in pretio fuisse, utpote quæ & corpori humano valetudini, & bello pio, nervorũ loco esse possint. De me autem homuncione, ILLUSTRISS. PRINCEPS, hoc cogites velim, nihil antiqui' apud me futurũ unquã, quàm CELS. TVÆ, quacũq; ratione potero, inservire, DEUS Opt. Max. CELS. TVAM magis magísq; beet, ducátq; Spiritu suo, & eã quàm diutissimè asservet incolumẽ, ad Sãctissimi nominis sui gloriam, & hujus felicissimæ patriæ pacem perpetuam, per IESUM CHRISTUM Filium ejus unicum Dominum nostrum. Amen.

Lugduni Batavorum die 25.
mensis Novembris 1597.

CELS. TVÆ

Addictiss. & Deditiss. Servulus

NICOLAUS BARNAUDUS
Medicus Gallus Delphinas.

NICO-

NICOLAI BARNAVDI,
A CRISTA ARNAVDI DELphinatis, Philoſophi, & Medici,
IN
AENIGMATICVM QVODDAM EPITAPH.
BONONIÆ STVDIORVM,
antè multa ſecula, marmoreo lapidi inſculptum, cujus verba proximè ſequuntur.

D. M.

AELIA LAELIA CRISPIS, NEC VIR, NEC MULIER, NEC ANDROGINA, NEC PUELLA, NEC IUVENIS, NEC ANUS, NEC MERETRIX, NEC PUDICA,

SED OMNIA.

SUBLATA NEQUE FAME, NEC FERRO, NEQUE VENENO:

SED OMNIBVS.

NEC COELO, NEC AQUIS, NEC TERRIS.

SED VBIQVE IACET.

LUCIUS, AGATHO, PRISCIUS, NEC MARITUS, NEC AMATOR, NEC NECESSARIUS, NEQUE MOERENS, NEQUE GAUDENS, NEQUE FLENS,

HANC

NEQUE MOLEM, NEC PYRAMIDEM, NEC SEPULCHRUM,

SED OMNIA.

SCIT, ET NESCIT, QUID CUI POSUERIT.

HOC EST SEPULCHRUM, INTUS CADAVER NON HABENS,

HOC EST CADAVER, SEPULCHRUM EXTRA NON HABENS,

SED CADAVER IDEM EST, ET SEPULCHRUM SIBI.

Commentariolum.

A QVO tempore in hoc Epitaphiũ, cum per multis alijs excuſum, incidi, cum ultrò rogaſſem, num vir aliquis, œdipeo ſpiritu imbutus, hoc ſibi sũpſiſſet elucidandum myſterium, intellexi, non ſine magna animi mei lætitia, præclara quædam noſtræ tempeſtatis ingenia ſedulam non dubitaſſe navare operam in enodando eo, quod ſub fictis iſtius Epitaphij verbis latet, arcano: Nec defuiſſe qui, quod ſub ipſis, in genere (ut ita loquar) tegitur, aſſecuti fuerint; at cum unumquódque verbum ſumpſiſſent ſibi interpretandum, præcipua intacta relinquentes, reliqua adeò perfunctoriè examinarunt, ut, aut eos aliud in animo habuiſſe, quàm quod præ ſe ferebāt præſtarent: aut eos ignoraſſe quod ſe facturos receperant, dicere neminem, qui eorum ſcripta legerit, pudeat: Nec defuerunt alij, qui, ut audio,

audio, Animam hominis, alij nubium aquam, alij, ut hîc intellexi à viro de litteris benè merito, Eunuchum quendam, alij alia varia hoc Epitaphio tractari phantaſmata, ſuis ſcriptis contenderunt. Hæc ego cùm intellexiſſem eorum miſertus, qui abditioris Philoſophiæ in caſtris militant, operæ pretium facturũ me exiſtimavi, ſi Triſmegiſticum hoc Epitaphiũ eis aperire conarer. Itaque lubens hanc in me ſuſcepi provintiam, veſtrum eſt utrámque mihi nunc præbere aurem, Chæmiologi benevoli: paucis enim, quæ multis manuſcriptis libris, quæque multa, & indefeſſa triginta, & plus, annorum nactus ſum experientia, docere vos propero; ſi tamen prius monuero, (eos alloquor, qui de rerum omnium, ſub Orbe Lunari exiſtentium, præcipuè verò de metallorũ metamorphoſi minimè ambigunt) me, ſi Bononiæ eſſem, autorem futurum Magiſtratui, ab Epiſcopo Romano Bononiæ præfecto, ut totum illud marmoreum ſepulchrum, ejúſque baſim, & ambitum ita luſtraret, ut ne ejus quidem pars minima intacta, ut ita dicam, remaneret, ne, ſi fortè quid reconditum in ſinu ſuo olim fuit, quod omnia redoleat, ſepultum diutius jaceat: etenim cum hîc OMNIA lego, in mentem venit vere antiqui Romani, & longè pij, Morieni Philoſophi Hiſtoria. Hic cum Regi Kalidio, ſophorum medicinam, pro ſua bonitate paraſſet, clanculum à Rege illo diſcedens, vas in quo medicinam illam reliquerat hoc depinxit Elogio: QUI OMNIA SECUM habet, nulla re indiget: hoc Rex ille, paulò poſt Morieni diſceſſum, cũ animadvertiſſet, quod maximè quæritabat, nactus eſt, OMNIA videlicet, quæ à verè Philoſophantibus quæruntur, LA-

PIDEM

PIDEM nempe, quem Philoſophorum nominant: itaque non abs re eſſet, ſi totus ille ſepulchri locus, ab auri ſacra fame pereuntibus miniſtris, luſtraretur: Solent enim tales theſauri quandóque confodi, & clanculum aſſervari, quod vix reperiatur, qui eis dignus ſit: unde fit, ut theſauro confoſſo, negotium DEO donatori committant, ut accidiſſe memini paulò antequam Cracoviâ Pragam redirem, ubi a Clariſſimo, ſimul & Doctiſſimo Viro, Nobili Thaddeo Hagecio, Medecinæ Doctore, Mathematico celeberrimo, hoſpicio per ſeſquiannum exceptus, & ab Illuſtriſſimo, æternâ memoriâ digno, Domino GUILIELMO VRSINO A ROSIS, Regni Bohemiæ tum temporis prorege ad ſuam valetudinem tuendam in medicum aſcitus, bonofato, in virum Belgam Medicinæ Doctorem, cui nomen eſt Anſelmus à Boodt, incidi, cum quo non parva interceſſit mihi familiaritas, cujus & amicitia etiàmnum lætor, & utor; hic bonus, cùm parentis ſui demortui librorum ſuppellectilem nòn exiguam, è Belgio Pragam advehi curaſſet, incidit in libellum, à me tandem viſum, in pelle arietina conſcriptum, cui titulus erat, Cymbalum aureum, hunc, cum membrana obtegere cogitaret (erant enim quibus obtegebatur aſſeres confracti) exempta à Doctore aſſeris particula fracta, apparuit incogitanti vacuus quidam & cōcavus in medio locus, pergameno obductus, in quo & chartula quædam obvoluta, in qua lapidis Philoſophorum proceſſus Ænigmaticè (neque enim vel unum reperias, qui aperto ſermone rem deſcribat) conſcriptus erat, ſimul & rubentis pulviſculi particula grani pondere, recondita. Ad hæc D. Anſelmus, metallicæ Philoſophiæ

ſophiæ oſor tùm temporis acerrimus, hoc ſpectaculo permotus, cum periculum, ut ſcripto illo jubebatur ſupra Mercurium feciſſet, pulviſculi partem mediam ad ignem in ipſum conijciens, vidiſſétq; Mercuriū in Solem nativo non diſſimilem, evaſiſſe, exarſit primùm, obſtupuit tandem, &, ſi mavis, vox ejùs faucibus hæſit, (audita ore ejus refero) inſuper aurifabrum quendam, hujus artis ſciolum, ſibi notum convenit, utque eum diſtillandi artem doceat, rogat, viciſſímque pollicetur, id facere ſi velit aurifaber, ſeſe ei oſtenſurum trāſmutationis Mercurij in Solem verum ſpecimen, (aſſervarat enim Doctor Anſelmus rubei illius pulveris grani ſemiſſem) cumque inter eos conveniſſet, ſemiſſem illum reſiduum medium diviſit, ipſiúſq; partem aurifabro tradidit, qui cum periculum feciſſet, cum ſcilicet in Mercurium ad ignem, lege artis, proijciens, viderétq; Mercurium in Solē verſum, ratus ſe à Doctore quem aurum in tigillum clam impoſuiſſe, falſo credebat, deluſum fuiſſe, apud Doctorem ipſum coràm conqueritur: hic, inquam bonus, ne quid apud aurifabrum hæreret ſcrupuli, reliquum pulveris, imprudens, aurifabro tradidit, ſeq; in alium recepit locum, interea dum in novum Mercurium, projectionem denuò faceret aurifaber: qui cùm vidiſſet, projectione hac facta, & hunc Mercurium in Solem purum verſum, procidit in faciem, Deo gratias agens, & à Doctore veniam exorans: quē etiam tandem, ſpagiricam quam callebat docuit artem: Doctor verò, tentato poſtea ad litteram (quæ occidit) proceſſu, & alijs permultis, cum Paulo Grimmillero, Cæſareæ Majeſtatis minerarum in Bohemia ſupremo examinatore, fruſtra exper-

expertis, abjecto clipeo, & omni Chæmica ſpe, animum alio addixit ſuum, mihíque tandem illum ipſum proceſſum, à Fernelij proceſſu, in ſuo de abditis rerum cauſis libro, paucis exceptis, non diſſimilem, tradidit; quem ego, DEO benè favente, ſubnectam in Philoſophorum gratiam, inq; lucem emittam, unà cum aliquot alijs, huc, illuc, comparatis, mihíq; chariſſimis, Chæmicis proceſſibus: ut ſciant filij artis, me, procul omni invidiâ, quod perpaucis evenit, artem hanc abſtruſiſſimã tractare, varijſq; tanquam tabellis ob oculos ponere velle: quò, ſi quando evenerit, ut quis horum meditatione, addita noſtri Epitaphij interpretatione, & aſſidua contemplatione, & operatione, voti compos tandem fiat, DEO Opt. Max., patri luminum, à quo omne bonum, cui etiam totum id quod ſperamus, acceptum ferendum eſt, Deo inquam, Regi ſeculorum immortali, inviſibili gratias agat, eíq; toto vitæ ſuæ curriculo ſerviat, pauperum non immemor: ſed ad rem.

EPITAPHIUM hoc noſtrum à LUCIO PRISCIO, Æliæ, Læliæ poſitũ, etſi longè diverſum à Chæmicorum mente ſenſeri poſſet, præcipuè ſi quis litteram obſervet, nihil tamen aliud, meo judicio, præ ſe fert, quàm arcanum illud Smaragdinum Hermetis Triſmegiſti, Chæmicorum omniũ Principis, quod à varijs Philoſophis ubíque ſparſis, in unum tamen conſentientibus, variè, at ſemper verè, filijs ſapientiæ traditum, & commendatum fuit; at quia par eſt de perſonis primùm; poſtea verò de rebus inquirere, & loqui, videamus quæſo, quiſnam hujus monumenti autor fuerit, quæri enim, non abs re; poſſet à viro Chæmiæ cupido, quis hic LUCIUS AGATHO Priſcius fuerit, cùm

quod

quod inter historicos, quod sciam, nulla hujus extet memoria; tum quod cæteri Chæmici, inter eorum autores, quorum alioqui nomina diligenter asservant, hujus mentionem vel minimam nusquam faciant. Ad me quod attinet, etsi maxime omnes lustremus historias, non tamen quis, aut qualis fuerit, posse nos scire cogito, ita enim mihi persuadeo, conficta omnino hæc nomina, & à viro aliquo probo cui inter priscos, prisca illa & perennis artis nostræ veritas illuxerat, usurpata fuisse. Hic autem cum nollet proprio, aut familiæ nomine innotescere (periculosa enim sui similibus semper fuere tempora; & ut vulgò fertur deprædari cupit, qui thesaurum publicè gestat) his, at non perperam fictis nominibus, sibi ipsi impositis, posteros docere voluit, cum qui sacra hæc arcana tractare velit, LUCIUM, id est subtilissimi, lucidissimi, & perspicacissimi ingenij virum, esse oportere, in rimandis omnium mineralium semimineralium, & metallorum naturis eorúmq; familijs expiscãdis; præterea non solùm LUCIUM, sed & humanum, prisca illa bonitate præditum, & ut uno verbo dicam, pium, & vere probum, ut verbum AGATHO innuit, Deíque timentem virum esse debere, qui nec

„ *Peccare, nec lætatur irrisoribus*
„ *Se pessimis adjungere:*
„ *Sed mente pura diligit leges Dei*
„ *Illasq; semper cogitat,*
„ *Seu nox sopore amabili, seu lumine*
„ *Sol candido terram irrigat.*

Neque enim in malevolam animam intrabit sapientia, ni forte, ut quandoque solet accidere, iratus Deus, ingratis, & immorigeris concedat, quod

rogatus, pijs alioquin viris denegavit; Illos autem, si quando contingat tale Dei donum asse-qui, gladium denudatum manibus furiosi gestatum, in ipsorum præcipuè pernitiem comparatum, dixeris; neque tamen (ut cum Thoma Aquinate loquar) negaverim solere scientiam hanc, virum qui eam possidet, sanctum reddere, & ex profligatissimo, prudentissimum, quiq; cum alio dicat, valedicto mundo,

„ *Inveni portum, spes, & fortuna valete;*
„ *Nil mihi vobiscum; ludite nunc alios.*

Fuit ergo hic noster auctor, qui monumentum hoc posuit, AGATHO, id est, probus, fuit & LUCIUS, id est, luce naturæ, & Divina ornatus, & PRISCIUS, id est, seculo illo aureo, non hoc nostro corruptissimo natus, hic ergo secutus Platonem in Epistola ad Dionysium, scribendum hac de re per ambages, & Ænigmata censuit, ne si fortè jactari scriptum contigerit, qui legit, non intelligat. Itaque Philosophorum dicta intelligere qui voluerit, Deo se totum tradat oportet, & ad naturæ possibilitatem, non ad sonum verborum, intueatur, illi enim hanc sacram, & abditam artẽ sub similitudinibus, fabulis, & verbis obscuris tractaverunt, & data opera, occultarunt, ne impijs, & indignis patefieret. Nunc videamus quænam fuerit hæc nostra Heroïna cui positum est monumentum, quod enim in ipso frontispicio D. M. hoc est, Dijs manibus, priscorum more, ejus postria fuit memoria, à LUCIO nostro factitatum est, ut, & aliquando viventem, & emortuam Heroïnam hanc fuisse doceret, quam tamen posteà meliore vita, & immortalitate donatam, ut videbimus, affirmat, quò lucem, & vitam con-

fan-

sanguineis suis, Mercurio nempe, & impuris metallis, nobísq; homuncionibus, in valetudinis nostræ negotio, auxilium impertiri posset, Ad præcipua nunc, & lucci plena verba interprætanda nos accingamus, fuit ergo, & est hæc nostrà Diva

ÆLIA

Solaris, dubiò procul, ut nomen indicat, sive Solis filia, immo substantia, Essentia, radius, virtus, & illa quidem invisiblis Solis nostri, ne quis eam à Sole vulgi natam, perperam cogitet; néque tamen desunt, qui eam ex urani, & vestæ filio, Saturno, & Ope ejus Sorore, à qua cum plures Saturnus suscepisset liberos, eósque vorasset, & è vestigio evomuisset, Iupiter servatus, ejúsque loco lapis Saturno presentatus fuit, ac si eum peperisset Opis, ab ipsis inquàm, eam natam esse cogitent; at, quicquid sit, Ælia, seu Solaris est, neque tamen, (tanta est ejus amplitudo) astro illo, mundi oculo amicta incedit; sed & altero, minore luminari, Luna, que sub pedibus ejus est comitata, ideo etiam dicitur

LÆLIA

Quasi Solis amica, & ut ego interprætor Lunaris vis, & essentia, non autē Luna, sive argentum vulgere, neque enim antiquiores Philosophi, Sole, & Luna vulgi, hoc in magisterio usi sunt; itaq; virum Philosophum, non magis egere sumptibus, prædicarunt, & a paupere æquè, ac divite suscipi, & perfici posse, (adsit modo Deus) hoc opus, affirmarunt; quod procul à veritate abesset, si absque Sole, & Luna vulgi, minimè fieri posset, cum prætiosa sint, & pauperibus non ita per via;

licèt non inficias eam, posse hæc duo Astra, ita subtiliari, & tincturis commisceri, ut etiam in minora redigi possint Elixiria, idq; cum lucello non minimo, ut mihi autor est Georgius ripleus anglus, in claviportæ aureæ, Et Helvetius ille Theophrastus in suo manuscripto Testamento; quod, ut liberius credam, facit magni cujusdam viri Angli, etiamnum superstitis autoritas, quem ferunt Solem vulgi, liquore ad id parata in Mercurium vertisse & ex eo tandem, & terra Solis, Tincturam parasse; cujus ego fructus aureos, cum apud Dn. Doct. Thaddeum Hagetiũ Pragæ agerem, centies vidi, & manibus gestavi, placentulam nempe, sive massulam ex auro puto puro, sex untiarum pondere, ab ipsomet D. Hagetio, è Mercurio vulgi, projectione grani unius pulveris rubri, momẽtò factam, ut ipse mihi sanctè affirmavit, & cum ipso D. Simeon Hagetius, ejus filius, Cæsarius aulicus, qui Solus cũ parente, projectioni interfuit: At linearis illa, & Regia Philosophorum via, in istis mea sententia haud sita est, eorum enim Sol, & Luna in nostro composito existentia, viva sunt, & virentia, súntque duæ istæ præcipuè tincturæ, rubea & alba, ÆLIA, si mavis & LAELIA, in uno & eodem subjecto sepultæ, neque à natura, ad complementum, ut loquutur, deductæ, per magisterium tamen nostrum eò deducendæ, separatione eorum facta à terrestri lutositare, & feoria substantiæ illius, in qua latent, quæ deinde, secundum propriam ipsorum naturam, puris terris, rubræ, & albæ ita cõmixtibiles fiunt, ut fermenti loco merito habeantur, nec alieno indigere dicantur, cùm universum hoc, unum sit, eadẽ ortum imagine, partes in se suas coessentiales,

con-

continens, quod absurdum esset, si ad ejus compositionem aurum, & argentum commune requireretur Neque tamen nego, Philosophos posse optimè aurum, & argentum minerale, cum rebus sui generis radicalibus, & à natura minimè adhuc completis, dissolvere, sicque ad hujus artis pervenire posse fastigium, si credere Ripleo Anglo licet, sed sanè, non uniuscujúsque ingenij est hæc operatio, & insuper, Principibus auro, & argento abundantibus convenit; hæc autem quam tractamus via, Philosophis magis placet, & quadrat, estque facilior multò: At dicet hic aliquis, si hæc via ita facilis est, ut dicis, cur ergo à LUCIO vocatur tandem,

CRISPIS.

ID est obvoluta, intricata, crispato, & capillitio ornata hic ego ingenuè fateri cogor, me, per multos annos, circa materiæ nostræ investigationem, & eâ, forsitan cognita, circa ejus præparationem, versatum frustra fuisse: Neque tamen non credo, vel à mulieribus & pueris facillimè, ut ita loquar, præstari posse integrum nostrum magisterium, si semel ab ipsis intelligeretur, si inquàm esset, qui eos doceret, quod unica horula, ut ajunt doceri potest; At quod nunc CRISPIS, involutáq; dicatur materia nostra, fit, tum quod diris, & compedibus à sua scoria detenta sit, à qua liberari cupit à perito artifice: tùm, quod, qui in arte sunt nodi, hi ab ipsis Philosophis qui se ipsos invidos vocant, artem celare studentes, profecti mihi videntur, ut, quod,

NEC VIR, NEC MVLIER.

EST, hæc inquam, & similia, ijs qui litteræ ad-

hærent, potius quàm ſpiritui, implicitam, cognitúque arduam, & per dificilem reddunt materiam; cum enim videant, ſubjectum hoc noſtrum, ab alijs Adamum; id eſt, rufum hominem, qui uxorem ſuam Evam, quam candidam faciunt, in ſinu ſuo geſtat, vocari, unde hi etiam prodiere verſus, Candida ſi rubro, mulier ſit nupta marito; mox complectuntur, &c. & ſimilia multa, cùm audiant, quæ brevitatis cauſa à me prætermittuntur, hic verò legant, nec Virum nec Mulierem eum eſſe, cui fidant, miſeri, neſciunt; At quibus Philoſophorum mens perſpecta eſt, non patiuntur ſe adduci, ut credant, animale quid, noſtrum ingredi magiſterium, niſi fortè metaphoricè, & ea, qua cuncta creata, ſimilitudine ſibi agnata, quodammodo inter ſeſe convenire dicuntur; Itaque cum virum, & mulierem, ſubjectum noſtrum nominari audiunt, ab alijs ſervum rubeum, qui candidam amplectitur fœminam nihil aliud cogitant, quàm Solem, & Lunam, ſive ut ita loquar, eorum ſpermata & influxus, in ſubjecto noſtro, ſimul cum Mercurio exiſtentes. Cum verò, ut hic, nec Vir, nec Mulier dicitur eſſe facile, etſi ſciant Corpus, Animam, & Spiritum hinc ineſſe, adſtipulantur, prout &, cum,

NEC ANDROGYNA,

Esse dicitur; dubitari enim potuiſſet à ſciolo aliquo, Divam hanc, Æliam, & ſi nec Vir, nec Mulier fuerit, utrûmque tamen, nempe utriúſq; ſexus participē fuiſſe; At Probus monet, ut huic occurrat, nihil hujuſmodi fuiſſe, licet maris; & fœminæ ſemen in ſe habeat, immò

NEC

NEC PVELLA, NEC IVVENIS,

SIVE formam, sive ætatem ipsius spectes:

NEC ANVS

SI temporis usuram, sive canitiem respicias,

NEC MERETRIX,

SI ejus vitæ rationem ad calculos revoces, quod nec dum coïerit, nec coïre cogitaverit, & si

NEC PVDICA,

SIT, quòd virum appetat, secúmque sulphur suum, (quod ei loco masculi est) gestet, licet incommixtum, quo nomine Rebis dicitur; sequitur;

SED OMNIA.

ID est, ut ego interpretor, hæc nostra ÆLIA, LAELIA, CRISPIS, Vir, Mulier, Androgyna, Puella, Iuvenis, Anus, Meretrix, & Pudica, est, fuit, & futura est, diversis tamen, ut dicitur, de causis, idque vel testante omnium Philosophorum schola, cujus Loca, & Sētentias adducere, si vellem, annus vix sufficeret, Itaq; hanc omnia esse, Omnia in se habere, quibus indiget ad sui perfectionem, Omnia de ipsa prædicari posse, & ipsam vicissim de omnibus, apud vos ipsos statuatis velim, Chæmiologi benevoli. Vnum enim est totum, ut ait maximus Chimes, ob quod sunt omnia, & si totum, non haberet totum, nihil totum esset: Nunc restat videre, quo fato perierit hæc mirabilis Heroïna, etenim, ipsa est.

SVBLATA, NEQVE FAME, NEC FERRO, NEQVE VENENO, SED OMNIBVS.

IDQUE, ut credere fas eſt, cernentibus autoris oculis, decet enim virum, qui hæc myſteria tractat, perpetuò operi adeſſe, ne quid admittat, Itaque cum mors, janua vitæ dicatur, mori hanc Heroïnam etiam oportuit, ad perpetranda miracula illa ſtupenda unius rei. Hic autem AGATHO monet eam neque Fame, neque Ferro, neque Veneno, Sed Omnibus ijs concurrentibus, ſcilicet, ſublatam, necique traditam fuiſſe, id eſt excicatam, & in pulverem fixum, mortuo ſimilem redactam, bonóque Veneno ſuo extinctam: Neque tamen Fame, ut autor ait perijt, quod habuerit, quo ſeipſam aleret, poténſque fuerit nativum cibum, & potum ex ſui ipſius ſubſtantia, ab artifice adjuta, ſibi ipſi præbere. Et nihilominus Fame, & ſite tandem præſſam, quod omnem ſuum varijs comparationibus exaurijſſet humorem, perire eam oportuit, ferróq; interimi, ſi Ferrum interpræteris, (ut ego interpretandum cenſeo) pulverem illum ruberrimum croco Ferri ſimilem, in quem tandem, igne continuo converſa, mortuæ nomen adepta eſt, Tum & Veneno, id eſt, ſuo ipſius ſulphure puriſſimo, Solari nempè quod in ipſa congenitum latebat, cujus vi fixata, ut locuntur, & mortui tradita fuit, id eſt, in terram verſa, ut ait Hermes, vires ſuas integras habens, itaque non ita extincta eſt, ut quis arbitrari poſſet, immo potius,

NEC COELO, NEC AQVIS, NEC TERRIS. SED VBIQVE IACET.

MIRA, dubiò procul, est vis, & potestas hujus nostræ Heroïnæ, quæ, & si sublata sit, ubique tamen eam jacere, id est sedem suam habere autor ipse affirmat; fuit ne forsam, hic noster Probus, unus quidam ex ubiquitarijs? vix crediderim tantum errorem, sua tempestate natum fuisse: at hic animadvertas velim, studiose lector, materiam nostram, post ejus præparationem, & conjunctionem, (quarum vix verbum reperias ullum, in cunctis Philosophorum libris) leni, & continua decoctione in pulverem versam, itaque ad oculum mortuā, esse, non Solum in Cœlo, id est, in anima, aut in terris, quæ variæ sunt, nempe in suo corpore terrestri, aut in aquis, quæ etiam multiplices sunt, nempe in spiritu, qui solet animam deportare, sed ubique, id est, simul esse in Cœlo, terris, & aquis, tanquam totam, in toto, & totam in qualibet parte: adeo ut partes illæ, alioquin separabilis, nusquam ab juvicem separari possint, postqàm unum facta sunt: hinc tota Lex, & Prophetica Chæmica pendere videtur: Nunc, posteaquam audivimus quæ, qualis, & quanta hæc nostra Diva fuerit, quidque ei evenerit, audiamus, quæso, quid author de seipso dicat.

LVCIVS, AGATHO, PRISCIVS, NEC MARITVS, NEC AMATOR, NEC NECESSARIVS.

DIXIMUS initio hujus nostri commentarioli, qualis hic autor fuerit, nempe vir lucidissimo

ingenio donatus, inter priscos illos probos Philosophos annumeratus, nunc quid eum adegerit huic Heroïnæ sepulchrum extruere cogitemus, & perpendam' : Cum etenim ipsum nec Maritũ, nec Amasiũ, nec necessarium, hujus nostræ demortuæ Heroïnæ audiamus fuisse, (quod ei facilè concedimus, tanquam viro probo, qui non solet rei alicui ita se addicere, & maritare, aut ita perditè amare, ut necessario re optata frui, sibi statuat) cumque hæ sint præcipuæ causæ, nempe Thorus, Amor, & Sanguinis nexus, quæ aliquem unum movent, in templo memoriæ, (ut ita loquar) columnam alicui dicare demortuo, & neutra istarum hîc militet, vellem sapientiæ fili, ne abste Agatho dici possit, hoc elegans tentasse facinus (neque enim solent Viri probi Deum, & naturam imitantes, frustra aliquid moliri) vellem, inquam, te hîc mihi adesse, in rimanda Lucii hujus nostri, instituti ratione; Nam ad me quod attinet, arbitror; (si quid aliud sentis, indica) Lucium Philosophum nostrum, prævidisse celeberrimam quandam Academiam Bononiæ olim futuram; (sunt enim ut plurimum, Prophetæ Viri Philosophi) Cúmque hic, tantum, tamque stupendum Dei Donum assequutum se fuisse sentiret (Omnia enim se scire profitetur, ut pauló post audies) ne talenti defossi ratio à DEO Optim. Maximo, ab ipso exigeretur, palam, & ob oculos omnium, bonarum litterarum mercaturam exercentium, Omnia; id est, artem Omnia docentem; omnium inquàm prætiosissimam, in Theatrum prodire jussit, hoc vestitã ænigmate; huic autem arti, & veræ scientiæ (post sacratissimam illam Dei, & Christi agnitionem, in qua salus omnium nostrûm sita est)
ut

ut omnium dignori, hic noster Lucius, ut Studiosos pelliceret ad ipsam indagandam,

NEQVE MOERENS, NEQVE GAVDENS, NEQVE FLENS,

VT constantem virum decet, teretem, rotundum, & intrepidum Philosophum, hic inquam, erexit

HANC, NEQVE MOLEM, NEC PYRAMIDEM, NEC SEPVLCHRVM;

FABRI enim Murarij & industrij alicujus Architecti manibus contexta, & ædificata fuere hæc; neque Molis, Pyramidis, aut Sepulchri marmorei consideratio, cuiquam proficua esse potuisset unquam.

SED OMNIA.

SCILICET, posuit, nempe verba hæc, quæ insculpta legis, Smaragdinæ tabulæ Hermetis verbis haud absimilia, præterea Medicinam illā summam, & catholicam, omnia humana corpora persanantem, tùm & impura metalla ad sphæram Solis evehentem, & prætiosos lapides, si quis ad summum eam deduxerit) fingentem, sequitur.

SCIT, ET NESCIT QVID CVI POSVERIT.

SCIT, nempe artem totam, primi, secundi, & tertij ordinis Medicinam, ut cum Gebro loquar; Scit præterea se hic posuisse illum Philosophorum lapidem; at quid, id est, quantam posuerit Nescit,

ſcit, neq; enim ut veriſimile eſt, ponderavit neq; etiam novit, cui poſuerit, itaque nonabs re mihi videretur, ut initio monui, ſi, prout nunc fert tẽpeſtas, magno illi Principi Romano poſita eſſent hæc omnia, cùm in manibus ipſius ſit, totum illũ ſepulchri locum curare luſtrari, & omnis moveri lapis, ut quantũ, quídve poſuerit deinceps ſciatur.

HOC EST SEPVLCHRVM, INTVS CADAVER NON HABENS,
HOC EST CADAVER, SEPVLCHRVM EXTRA NON HABENS,
SED CADAVER IDEM EST, ET SEPVLCHRVM SIBI.

NAM, etſi multiplex horum verborum dari poſſet interpratatio, ego tamen cæteris relictis omnibus, arbitror, LUCIUM, his primis verbis, hoc eſt Sepulchrum, intus Cadaver non habens, verum, ad litteram dixiſſe, & quod res habet indicaſſe, nempe Cadaver ullum in hoc Sepulchro ſepultum eſſe. Ni fortè lapis integer, ab aliquo alio Philoſopho multiplicandus, in ſuo vaſe relictus, & ſepultus fuerit à LUCIO noſtro, quod, eo magis urgere mecum videtur, loci illius anatomẽ faciendam. Sequentibus autẽ, & poſterioribus verbis, id ipſum digito monſtrare videtur LUCIUS, dum dicit,

HOC EST CADAVER, SEPVLCHRVM EXTRA NON HABENS;
SED CADAVER IDEM EST, ET SEPVLCHRVM SIBI.

ETENIM, ſuipſius, res noſtra Sepulchrum eſſe dicitur, unde, ut paucis abſolaam, (nam in hoc

jacet

jacet lepus) Sepelite, ajunt, unum quódque in Sepulchro alterius. Cum enim Sulphur, Sal, & Aqua; sive Sol, Luna & Mercurius, sint in materia nostra, ea jubemur extrahere, conjungere, sepelire & mortificare, id est, in cinerem vertere; ita fit, ut nidus, avibus sit Sepulchrum, & rursus, ut aves, nidum in se recipiant, & cum eo coalescant; fit inquam, ut anima, spiritus, & corpus: mas, & fœmina: agans, & patiens, in uno, & eodē subjecto, in suo vase posita, igne suo fota, & externo adiuta, artis magisterio, evadant, suo tempore. Dei Opt. Maximi puro dono, in Medicinam tingentem Mercurium, & omnia imperfecta corpora, in Solem, ut ajunt Philosophi, minerali puro, putóque non dissimilem, inque Medicinam summam humana corpora persanantem: at, Psalmum quadragesimum nonum.

Audite

" *Audite, qui potentia,*
" *Opúmque magnitudine,*
" *Auróque gloriamini.*
" *Æternitatem vitæ homo*
" *Vi nullus hic pecuniæ*
" *Magna sibi, aut speret suis*
" *Se comparaturum: viros*
" *Cùm cernat, & bonos mori,*
" *Sapientiæque deditos,*
" *Fatum est inevitabile*
" *Omnino cunctis pallida*
" *Calcanda mortis est via,*
" *Linquendæ & aliis sunt opes,*
" *Omnes licèt stulti putent,*
" *Tanto labore quas struunt,*
" *Sibi fore æternas domos*
" *Cum gloria, atque illustrium*
" *Fama suorum nominum.*
" *Demens homo quàm fallitur!*

FINIS.